









SCRIPTORES REI RUSTICÆ
VETERES LATINI

E RECENSIONE JO. MATTH. GESNERI
CUM EJUSDEM PRÆF. ET LEXICO RUSTICO

VOLUMEN PRIMUM

CONTINENS

CATONEM ET VARRONEM

PRÆMITTITUR NOTITIA LITERARIA

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINÆ



EDITIO ACCURATA

BIPONTI
Ex Typographia Societatis
CIƆIƆCCLXXXVII

SCRIPTORES REI RUSTICÆ

VETERES LATINI

CATO, VARRO,

COLUMELLA, PALLADIUS,

QUIBUS ACCEDIT

VEGETIUS DE MULOMEDICINA,

ET

GARGILII MARTIALIS FRAGMENTUM.

JO. MATTHIÆ GESNERI

PRÆFATIO.

FUNGI enim tandem aliquando, Dei virtute, licet dulci officio, & diu votis noſtris expetito: quod tanto alacrius ruſticis noſtris, quin tibi, LECTOR, præſtabimus, quo majori nos voluptate finis ipſe longi laboris, & quaſi occupatus ex difficili navigatione portus, afficit. Ne vero turba opprimamur, placet ordinem quendam iis, quæ hic dicenda ſunt, præfinire, ut primo quidem, quæ ſingulorum ſcriptorum, quos damus, adhuc fata fuerint, indicemus; deinde qua fortuna conjuncti ſint uſi quatuor principes, perſequamur; ut commemoremus denique, quid auxilii vel ornamenti, poſtquam aliorum conatus fortuna intercepit, hac editione iis acceſſerit.

I. Jam ut *M. Catonis Cenſorii, qui agricolationem Latine loqui primus inſtituit* (Col. 1, 1, 12.) vel ceterorum adeo vitam enarremus, nemo, credo, exſpectat, inprimis cum in omnium manibus verſetur Fabriciana bibliotheca, quæ ſtudioſos illius

rei ad fontes ipsos ablegat. Scriptum ab illo de agricultura librum, vel ex nostris satis certum est, ne de Cicerone dicamus ac Plutarcho. Sed utrum is, quem habemus hodie, qualis hodie est, Catonem auctorem habeat, de eo non facile est pronuntiare. Illud quidem apparet, quæ Varro, Columella, Plinius, Palladius, laudant, ea nihil fere vel parum immutata hic legi. Habent etiam pleraque illam ex antiquitate gravitatem, brevitatem illam, oraculis non absimilem, interlucentem illum in austeritate incomta leporem atque suavitatem, quæ faciunt, ut Catoniana esse, quæ hic dantur, dubitari non debeat. Verum enimvero illud nemo temere mihi persuaserit, qualis nunc exstat, & a nobis etiam post multas multorum curas editur, talem, hoc est, hoc ordine, his totidem verbis (ne de orthographia [1] quidquam commemorem) constantem librum ab auctore suo traditum amicis esse. Primo, si Servio fides ad Georg. 2, 412, *Cato libros* scripsit *ad filium de agricultura.* Non illud nunc dicam, *libros* appellari a Servio, non *librum* : *librum* enim appellat Cicero de Senect. c. 15. Sed *ad filium* si scripsit Cato, allocutus illum quidem est in ingressu libri, in fine; ut a Tullio factum videmus, ut a Varrone, ut ab omnibus, qui libros suos aliis inscripsere. Sed hujus quidem rei nec vola hodie, nec vestigium superest. Deinde, aut male nobis Catonis ingenium atque orationem descripsit Tullius eo ipso loco, quem modo laudavimus, aut egit Cato paulo diser-

1. Egit de illa erudite Pontedera principio notarum suarum in Addendis.

tius uberiusque de natura & rationibus agrorum, frumentorum, vinearum, arborum. Profecto qui fuit illo ingenio, quo suavissimus ille senex, quem pingit Tullius,[2] is non potuit sibi temperare ab amœnioribus etiam quibusdam digressionibus & descriptionibus, quales non tantum Ciceronianus Cato profert, sed Varro, sed Columella, sed Plinius, & quicunque sunt viri humaniores. Quem modo nominavi Plinius 16, 8, s. 42, *novissimum libri* Catonis *ait esse de asparagis, ut appareat, repentinam ac noviciam viro curam fuisse.* At in nostris libris non novissimum est de asparagis, sed sequitur adhuc *de pernis saliendis*: ac ne hoc quidem fuisse novissimum, sed *de offis Puteolanis* præceptum adhæsisse in antiquis libris, ex summario veteri sive lemmate fit manifestum. Quod ex eodem Plinio affert ad Cat. 112 Popma, non videtur magnam vim habere: & ea ipsa, quæ adhuc protulimus, non nimis firma forte aliquis dixerit. Sed illud quale est, quod Columella 3, 2, 31 ex Catone laudat, *nullum genus vitium conserendum, nisi fama; nullum conservandum, nisi experimento probatum.* Ac ne quis dicat, ex ore forte Catonis hoc acceptum traditumque posteris, alia formula de talibus utitur Columella v.g. 1, 4, 1: *Cæsonianum præceptum, quo fertur usus etiam Cato.* Hoc quidem non mirarer, si hodie non legeretur apud Catonem: & tamen sententia ejus habetur in ipso principio. Extra controversiam etiam est illud, ab eodem Columella 12, 50, 19 plura laudari ex Catone, quam hodie eo

2. l. c. add. tamen Brut. 85. extr.

ipſo loco leguntur. Itaque pendet animus, an non injuria facta ſit a me pariter atque Cl. Schœttgenio Columellæ, cum ad 1, 3, 1 ipſum potius Moderatum feſtinationis poſtulare, quam conqueri de Catone amiſſo aut truncato, maluimus. In eo quidem certe errare non potuit Columella, quod pratorum commendationem longam 2, 17, 2 M. Porcio Catoni adſcripſit, cum ſuffragatorem ejus rei ipſum Tullium habeat. At in his Catonianis, quæ nunc exſtant, *quintus* demum prato locus aſſignatur. Hoc quidem ejuſmodi eſt, ut integritatem libri evertat penitus. Sed ſunt etiam alia. Notas agri boni ex Catone laudat Plinius 18, 6, ſ. 7, n. 2, quæ in noſtris libris non habentur: quaſque ex eodem repetiſſe videtur Columella 2, 2, 20. Neque illud invenio, quod ex eo affert idem Plin. 18, 6, ſ. 8: *Quidquid per aſellum fieri poteſt, viliſſime conſtat.* Ecquis vero putabit, ſanum Catonem fuiſſe, ſi immiſcuit ipſe piſtoriis operibus *votum pro bubus* c. 83, aut inter vini condituras præceptum *de canibus interdiu clauſis* c. 124. De priore jam ſtomachatus eſt Meurſius. Et nos malam manum ſuſpicati ſumus ad c. 38, 3. Minime etiam contemnenda nobis videntur, quæ de repetitionibus in hoc libello occurrentibus monet Cl. Pontedera in ipſo fine, ſeu ad 162, 3. Iterum dico, aut talis vir non fuit, qualem nobis uno ore tradunt veteres, qualem loquuntur fragmenta a Gellio aliiſque ſervata; aut liber de re ruſtica, ut nunc eſt, non eſt Catonis. Itaque non tantum ſubſcribo ſententiæ ejus, qui in calce Rhedingeriani codicis annotavit, *Exiſtimo opus eſſe frag-*

mentatum, ut & alia multa, quæ ad nos pervenere: ſed fragmenta etiam reliqua male digeſta atque conſuta vix *dimidiatum Catonem*, vel potius *disjecta membra Catonis* exhibere. An dicamus, hic etiam eſſe, quæ non ſint Catonis? Suſpicionem movet Plinius. Hic enim 17, 14, ſ. 24 de Catone loquens, *Ex iis*, inquit, *quæ commentatus eſt Cato, facile paret, illa ætate inter lignum & corticem, nec alio modo inſerere ſolitos.* At noſter cap. 41: *Vitem ſic inſerito — eam mediam diffindito*, rel. Et paulo poſt: *Vitem teneram præacuito, obliquo inter ſeſe medullam cum medulla libro colligato. Tertia inſitio eſt: Terebra vitem — pertundito.* Sed fateor, quo minus in argumento negante, ut ita loquar, omnia tribuam Plinio, novo ſcrupulo impedior. Negat ille *prunorum neque ſilveſtrium, neque aliorum mentionem a Catone fieri* 15, 13, ſ. 13. (quod idem de oleo ficticio 15, 7, ſ. 7. ac de meſpilo arbore 15, 20, ſ. 22, de amygdalis autem dubie negaverat 15, 22, ſ. 24) cum tamen ipſe 18, 6, ſ. 7, n. 2. inter notas boni ſoli, quas Catonis maxime verbis ſe ponere dicit, *prunum ſilveſtrem* referat. Item Plinius 22, 25, ſ. 61 *alica*, dicit, *res Rom. eſt — nondum arbitror Pompeji M. ætate in uſu fuiſſe.* Sed noſter c. 76 ad placentam ſuam adhibet. Verum hic quoque Plinii culpa videtur: ſiquidem *Alicarii* jam Lucilio noti fuere, auctore Chariſio, L. 1. p. 75, & *alicarias reliquias* habet Plautus Pœn. 1, 2, 54. Cum autem illud ipſum *maxime* liberare poſſit Secundum, manet utique ſuſpicio illa adverſus hodiernum Catonem mota: qui undecunque ſit, congeries eſt parum digeſta *oraculorum*, quæ Plinius

vocat, veri & *Prisci* Catonis (Horatianum illud epitheton tribuunt illi etiam inter nomina libri antiqui) tum formularum & descriptionum ab ipso utique primum profectarum, sed, quantum ad architectonicas v. g. a cap. 18 ad 22, ita varie corruptarum, ut nusquam fere minus intelligatur, plus tenebrarum & sudoris adeo offundat interpretibus. Sed qualiscunque est, hoc quidem jam Catone contenti simus necesse est. Incredibilem codicum varietatem etiam, præter cetera scriptoribus omnibus communia, ortam esse arbitror, primo ex ipsa illa formularum & descriptionum obscuritate, in qua facile nimis fuit errare imperitis hominibus; tum inde etiam, quod correctores nunc ex Varrone atque Plinio Catonem, nunc contra emendare aggressi sunt.

II. Quæ communia cum reliquis rusticis fata habuerit, deinde dicetur. Jam illud monendi sumus, post Pe. Victorium diligenter inprimis tractatum esse Catonem ab Adr. Turnebo in adversariis, quibus strenue usus est Auson. Popma: an satis liberaliter, alii existiment. Certe in suas areolas transtulit pluribus in locis Turnebi explicationes & emendationes, ubi verbum de Turnebo ipse nullum fecit. Exempla sunto, in quæ primum nunc incidimus, *placentæ*, *spiræ*, *scriblitæ*, *encyti*, *ernei*, *spæritæ*, *savilli* descriptiones apud Catonem c. 76–84, quas eodem plane modo explicaverat Turnebus 23, 10. Laterculos Cat. 109 sic interpretatus fuerat Turnebus 30, 6. Plura hujus generis in Varrone dabimus. Edidit igitur Popma Catonem cum reliquo-

rum ipsius scriptorum fragmentis, quæ a se collecta dicit (sed fecerat idem diu ante Riccobonus) in officina Plantiniana 1590, 8. quæ quo minus divendi posset editio, offecisse videtur Commeliniana omnium rusticorum, paulo post emissa. Igitur rescisso veteri novum titulum agglutinari reliquis exemplis jussit Raphelengius, adjecto annotationum Meursianarum insigni auctario. Novus titulus ita habet: *M. PorcI Catonis de agricultura s. de re rustica liber: post ultimam A. Popmæ editionem centum amplius locis auctus correctusque studio atque opera Jo. MeursI. Item fragmenta ejusdem scriptoris ab A. Popma diligenter collecta restituta. ex offic. Plant. apud Christoph. Raphelengium* 1598, 8. Illud de Commeliniana editione non dictum temere, inde etiam arguas, quod iniquior est in illam Meursius in præfatione, quam deinde damus loco XIII. Separatim etiam vendita quædam Meursianarum notarum exempla inde colligo, quod non nova modo paginarum series in iis notatur: sed, quod prima illarum plagula litera B signatur: ut intelligamus, τῇ A tributum cum præfationibus libelli titulum. Minutiora hæc fortasse videantur: sed cum mutatis personis eadem agatur sæpe fabula, interest harum artium non esse ignarum, qui in libris versetur. Meursianarum emendationum fundus est Basileensis Catonis Varronisque editio 1521, 8, quam cum Coloniense Gymnici convenire, ipse non negat, & collatio ipsa me docuit. Cum igitur v. g. ad Cat. 10, 4 ex Codice suo, quem mirificis mactat laudibus, *dolia olearia XV* laudet, is autem,

non minus quam reliqui ante Victorium libri typis incusi, *decem* habeat: errorem nescio cujus putavi, nec rationem ejus in varietate lectionis annotanda habui.

III. Et sane magnam partem notarum Meursii ita compendii fecimus. Prope enim ab insania abesse putabam adscribere annotationem unum alterumque versum impleturam, qua nihil disceret lector aliud, quam quod jam supra brevi nota unius alteriusque literæ satis aperte indicatum esset. Atque hoc quidem eo consilio factum est, quod nemo facile improbabit. Sed alias etiam quasdam tum Meursii tum Popmæ notas suo loco frustra requires, si forte id agas, Lector: cujus rei reddenda hic ratio est, ne quis alio, quam opus est, accipiat. Decreveramus initio in quatuor quasi classes dispescere, quidquid ad illustrandos hosce scriptores pertineret, atque in prima classe ponere lectionis varietatem, eo modo, quem secuti etiam sumus, in altera breviores annotatiunculas, quibus sententia redderetur clarior, easque & ipsas verbis auctorum subjicere; tertiæ autem assignare uberiores disputationes, quibus vel lectionis redderetur ratio, vel argumentum ipsum copiosius explicaretur; denique in indicem conjicere ea omnia, quæ ad singularum vocum significationem atque usum pertinerent. Eam vero rationem, quam nunc etiam optimam judicamus & omni lectorum generi accommodatissimam, quaque usum ex parte aliqua video in Aretæo nuper illustrem Bœrhavium, servare aliæ quædam rationes non sunt passæ, evenitque, quod est apud

Comicum, *quæ mihi putaram prima in experiundo repudio.* Hic igitur factum eſt, dum diſperſæ jam & in ſuas ſibi ſtationes diviſæ annotationes in Catonis priora revocantur, & ſub vetera ſigna rediguntur, paucæ quædam in indice ut manerent, quædam moratorum inſtar palatæ ſero tandem in addendis callocandæ eſſent. Spero tamen nullam eſſe vel Popmæ, vel Meurſii animadverſionem ita prætermiſſam, ut non illius ratio vel in varietate lectionis, vel alterutro locorum, quos dixi, habita ſit. Ceterum, redeundum enim in viam eſt, iterum recenſuit Catonem, & notas tum ſuas, tum Meurſii, ſuumque de inſtrumento fundi librum addidit, Auſonius Popma Franekeræ 1620, 8. cujus ipſius quoque editionis rationem, quoties a ſuperiore diſſentit, habuimus. Popmæ præfationem neutra habet, poſterior nec Meurſii. Quoties cum Varrone Cato ſit editus, quoties item cum reliquis ruſticis, deinde indicabitur. Codex Catonis MS. membranaceus recenſetur in Montfauconii Diario Ital. p. 304 alius ibid. p. 313. alius denique p. 393. Neapoli in bibliotheca S. Jo. Carbonarii eſſe Catonem de re ruſtica Thom. Bartholinus narrat de peregrinat. Medica p. 26. Recentioris notæ a. 1472 ſcriptus, & monſtroſe vitioſus eſt membranaceus item codex, qui aſſervatur in Rhedingeriana bibliotheca Vratislaviæ, cujus ſpecimina plura ad me miſit humaniſſimus cum viveret ſenex Kranzius: conjeceram autem in chartam loca inprimis difficiliora, & quæ opem a bonis libris exſpectare mihi videbantur. Cum ea parum aut nihil juvari viderem, nolui abuti optimi ſenis

facilitate, vel arca Thomæ Fritſchii in re parum, ut ſuſpicabar, ad ſummam profutura. An recte conjectaverim, ipſi lectores judicabunt, quibus inſpiciendam omnem, quæ nobis innotuit, hujus quoque codicis varietatem exhibemus. Hæc de Catone.

IV. M. TERENTIUS VARRO *jam eloquentem* Saſernarum beneficio *agricolationem expolivit*, (Col. 1, 1, 12) tum quod methodum ei applicavit diviſionibus ſubtiliter inſtitutis, quas deinde accurate plerumque perſequatur (vid. v. g. 1, 5, 3 & 4. 1, 37, 4. 2, 1, 12. 3, 3, 1 ſqq.) tum quod genere dicendi utitur erudito, quod polymathian, Græcam præſertim literaturam, ubique reſipiat. Hinc *etymologias* (vid. Indicem hac voce) ſectatur, ut auctorem librorum de lingua latina facile agnoſcas, collocutores etiam & perſonas quaſi ludi ſui deligit, quorum nomina ad res, de quibus agitur, apte cadant: *proverbia* admiſcet pluſcula (vid. Indicem h. v.) antiquitatem in rebus & verbis, leges, hiſtorias, fabulas, paſſim docet obiter, dictionem ſuam translationibus ubique pæne exhilarat (vid. Indic. *Metaphora*) doctumque & abſtruſius dicendi genus ſequitur perpetuo (vid. *Pleonaſmus*, *Syneſis* in Indic.) Integrior ad nos pervenit Catone, niſi quod ſuſpicionem nobis movit locus 1, 5, 4, quam ibi indicavimus, & verſus finem vulnera aliquot habere inſanabilia videtur: denique a Plinio 18, 29, ſ. 70 laudatur Varronis locus, qui ad ruſticam rem pertinet haud dubie, ſed in libris noſtris non invenitur: *Varro auctor eſt, ſi fidiculæ occaſu, quod eſt initium auctumni, uva picta conſecretur inter vites, mi-*

nus nocere tempestates. Si bene conjecit Justus Lipsius Var. Lect. 3, 21, (quem mihi indicavit ὁ πάνυ Fabricius) cum apud Nonium 7, 82 legi voluit *de re rustica*, pro eo, quod legitur vulgo *de rerum natura:* si recte illi, quamquam non laudato, nec ulla varietatis mentione facta, obsecutus Mercerus, eum titulum restituit: etiam illo indicio constabit, non integrum esse hodie Varronem, apud quem, nisi parum attendi, non sunt hodie verba illa *Ne familiæ rixent cum vicinis* (*rixentur* male scribitur in Merceriana, & contra consilium Nonii.) Confer. quæ dicimus ad Varr. 1, 13, 6.

V. Si igitur, ut illuc redeamus, passus est injuriam seculorum Varro; at in hoc est felicior, quod sospitatorem est nactus, acutissimum monstrosarum sæpe lectionum, quas Victorius ex MSS. Codicibus protulerat, interpretem, an conjectorem? JOSEPHUM SCALIGERUM; cujus notas, si titulo fides est, primum edidit cum reliquis anno 1573, 8, Henricus Stephanus: vocat enim *non antea editas.* Ex hac editione tum alias notas, quas postea delevit Scaliger, revocavimus (ad 3, 17, 4. *quos proinde*, & ibid. *quam illi in Lydia*) ne quid talis viri pereat, tum inprimis ad 1, 2, 10 nobiles Mureti versiculos Trabeæ suppositos atque Accio. Reliqua ad Durdrechtanam 1619 editionem fere exegimus, non neglectis etiam, quæ in margine annotatæ sunt lectiones, quas Aldinas fere esse, jam Cl. Pontedera ad 1, 12, 4 observavit. AUSONIUS POPMA etiam hunc dedit cum notis & conjectaneis ex offic. Plantin. 1601, 8. Sed minus etiam, quam in Catone fa-

ctum observavimus, candori suo pepercit, ita passim alienis inventis auctore dissimulato pro suis utitur. Hoc temere non dici comperiet, si quis inspicere volet & comparare annotationes ad 1, 23, 3. 1, 45, 3. Illud *inigere est utile* 2, 2, 12 debetur Ursino. Add. 2, 2, 13 & 2, 2, 18, ubi duas Victorii notas, praecedentem & sequentem, compilavit. Add. 2, 3, 8. 2, 4, 10. 2, 4, 11, ubi locum Strabonis e Scaligeri nota ad *Tomacinae* sumsit. Eidem Scaligero quoque debentur notae ad 2, 5, 14 & ad 2, 9, 7, ad 2, 11, 2; Ursino autem, quae ad 2, 9, 9, itemque ad 3, 1, 2 adscripsit; denique, desinendum enim est, Victorio ea, quae leguntur ad 3, 5, 9. Illiberale sane facinus, & dignum iris Scaligeri, qui vero mire locutus est, si dixit ea, quae tribuuntur illi in Scaligeranis secundis, 3 quem locum indicavit nobis Cl. Schoettgenius, ut & alterum e Scaligeranis primis p. 19, ubi dicitur notas in Varronem de R. R. confecisse Scaliger anno aetatis XXV. Sed de Popmae notis illud adhuc dicendum. Mirifice corruperunt eas librarii, & minime ex dignitate Plantinianae officinae ediderunt. In mediis vocibus, ut hoc utar, est interpunctum, toti versus geminati, & alia id genus flagitia. Quae satis aperta erant, ea restituimus, non sane pauca. Erant etiam, de quibus suspicaremur, sed quae pervestigare tempore inclusi non poteramus. Illud quidem nemo, qui superiorem editionem in-

3. *Popma a pauvrement fait sur Varron. O les pauvres jugemens que ceux de Popma! celuy qui a fait sur Varron & Salluste*, stercora collegit. (At descripsit Scaligerum & magnos viros alios!) *Je me moquois tant de lui à Geneve.*

ſpexerit, negabit, multo jam commodius eas notas emendatiuſque legi. De MSS. illud adhuc unum indicamus, unum eſſe Vratislaviæ in bibliotheca Rhedingeriana ſeculo ſcriptum XIV, lemmatibus & capitum diſtinctione carentem, de quo non audebamus negotium faceſſere humaniſſimo Kranzio, quod non nimis multa ſperaremus a codice, qui nos in ornithonis deſcriptione, quam ſubmiſerat ſenex optimus, & paucis aliis locis dubiis, deſtituiſſet. Plus opis attulit collatio ex antiquo codice facta a THEODORO RYCKIO, quam Perizonii rogatu cum Schœttgenio communicaverat Jo. Theod. Schalbruchius, Amſtelodamenſis Lycei profeſſor meritiſſimus.

VI. DE COLUMELLA paulo accuratius agendum, cum ille totus noſter ſit, Cato & Varro inprimis propter reliqua ſcripta ad aliorum quoque curam pertineant. Hujus igitur vitam ſcriptam eſſe ab Jo. Argolo Talioquitienſi non tantum ex Teiſſerio p. 160, & libro Italico *Glorie degli incogniti* p. 1[illegible] obſervavit Lichtenhahnius, Medicus in Saxonia celebris, cujus manu paſſim notatum exemplar Aldinum ſcriptorum rei ruſticæ pervenit ad J. H. Schulzium medicum & philologum clariſſimum, verum etiam docuit me per literas Fabricius, eam laudari in Nic. Comneni Papadopoli hiſt. Gymnaſii Patavini T. 2. p. 140. Addit vir ſummus, *Promiſſam video in elogiis Academicorum Incognitorum* p. 195. Utrum is idem ſit liber, cujus Italice modo titulum Lichtenhahnii fide retuli, jam non diſquiro. Utrum multo plura dederit Argolus, vel dare adeo potuerit, quam ex ipſo opere viri conſtant, neſcio. Quæ

illa ſint, hic repetere nihil opus eſt, cum in indice auctorum ſub Columellæ nomine poſuerimus. Ex eo, quod Syriam Ciliciamque ſe obiiſſe indicat 2, 10, 18, forte non injuria collegerit aliquis, cum imperio, certe cum poteſtate, ibi eum fuiſſe. Ea conjectura fuerit tanto minus improbabilis, ſi ex eodem indice auctorum de patruo ipſius Marco, aliquis volet cognoſcere: qui idem docet, quoties Columellam Palladius laudet, Vegetiuſque. De ætate certius ſtatui inde poteſt, quod Senecæ viventis & florentis vineas commemorat 3, 3, 3: atque Cornelium Celſum, ſuorum temporum virum nominat 1, 1, 14: paſſim ipſe citatur a Plinio majore. qui quidem non nimis illi æquus videtur fuiſſe, cujus rei vel teſtimonia vel indicia proferimus ad 2, 2, 19. 2, 9, 8. 2, 15, 4. 2, 16, 4. 2, 21, 5. 5, 6, 20. 10, 407. An pungat illum 1, 6, 3, itemque in ipſo operis ſui procemio Palladius, ad ea diſputamus: injuria quidem certe in procemio, ſi hoc voluit. Ita enim profecto diſertus eſt Columella, non ut argumentum ſimplex, quod doceri amat, dicendo obſcuret, quod Palladio facilius aliquis objiciat, ſed ut clariſſima luce perfundat omnia, & mereatur non illud modo Vegetii, *Columellæ abundavit dicendi facultas*, ſed illud quoque Theodori Bezæ Epigramma, quod non in Fabriciana tantum bibliotheca, ſed hic etiam legi dignum eſt:

Orphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modo Virgilii carmina pondus habent.
Tu vero, Juni, ſilveſtria rura canendo
Poſt te ipſas urbes in tua rura trahis.

O superi, quales habuit tum Roma Quirites,
Cum tam facundum viderit agricolam.

Nimirum interdum quasi vela laxat orationi, ubi argumentum vim dicentis recipit, ut in præfationibus fere, &, ut exemplis ex medio opere petitis utamur, 3, 10, 9 sqq. 3, 21, 2. 7, 12, 1. 8, 8, 10. ubique autem copiosus est, & ut rura, quæ coluit, læta quadam ubertate nitens & splendidus. Quam felicem verborum copiam habuerit, existimare licet, si synonyma quædam illius proferamus. Quam diversimode de caseo loquitur? *Lac cogitur, conducitur, concrescit, congelatur, glaciatus est caseus:* plantas translatas aut insitas *coalescere* dicit, *convalescere, comprehendere, tenere, respondere.* Plantæ eædem apud ipsum *ponuntur, differuntur, panguntur, disponuntur, deprimuntur, seruntur, differuntur, transferuntur, deponuntur, depanguntur.* Sed se, quod difficile erat, superasse, & ipsam naturæ matris varietatem æmulatus videtur in re simplicissima & quotidiana exprimenda. Operæ pretium est ipsi paulum auscultare. *Agit arbor coliculum, folia, gemmas: citat virgam vitis: creat palmes materiam: dat materias, edit frondem prima germinatione ulmus: effunditur vitis in materiam frondemque: egerminant vites: ejicit ex se vitem, sarmentum* (quamquam hoc solius forte Varronis est) *emicat in jugum palmes: emicat celeriter nux posita: emittunt oculi pampinos: enascuntur rami: evenit serius arundo: evomit solum herbas: exit herba: exigit palmes uvas: facit caulem cicuta: fruticat e trunco vitis: fundit vitis pampinum: gemmant palmæ: germinat vitis ex singulis gemmis*

compluribus materiis cum fructu : incitatur vitis : mittere radiculas : procedit sarmentum, germen de cicatrice, e tenero nepos : prodeunt semina : procreatur palmes : profundit vitis ex insito germen, profundit se supra modum numerus palmitum : progemmant palmæ : progerminant, promunt se, prosiliunt vites : promunt ulmi sameram : prorepunt undique pampini : prorumpunt novelli caules : provenit palmes ex duro : pullulascit, pullulat vitis : repullescit vitis novis frondibus. Sunt quadraginta prope formulæ, cultæ omnes, nitidæ, rem unam eandemque mira quadam venustate signantes.

VII. De libro, qui de arboribus inscriptus est, totoque adeo Columellæ consilio, dictum in prooemio illius libri ab Aldo, a Cl. Pontedera, & a nobis denique. Nunc illud addimus. Diximus, videri Columellam primum tribus aut quatuor libris rem omnem rusticam esse complexum, in quorum numero fuerit ille de arboribus, solus hodie suorum fratrum superstes. Jam si ponas quatuor fuisse, omnes aliquamdiu superstites, habebis, computato integro, quod adhuc legimus, opere XII libris concluso, *sedecim* illos, quos laudat Cassiodorus divin. lection. c. 28; qui locus Cl. Fabricio scrupulum movit. Post Palladium delituisse videtur Columella, cum illum accommodatiorem rationibus suis putarent agricolæ, ea credo causa, quod & lingua magis ad barbariem declinante, & illa in menses divisione usus est. Certe Pe. Crescentius, qui Catone, Varrone, Palladio, frequenter utitur, nusquam, quod recorder, Columellæ meminit. Tanto magis gratulandum

nobis est, quod tot tamen codices ætatem tulere. 4 Commemorat plures Fabricius, & in his primum ex fide Menagii, qui ad Diogenem Laertium p. 54 edit. Wetst. laudat Columellam monasterii Corbejensis, qui hodie Parisiis asservatur in bibliotheca S. Germani de pratis. Hunc eundem puto, quem Nic. Heinsius sæpe laudat ad Ovidium, unde plurimas ipsius observationes & emendationes depromere Cl. Schœttgenio & mihi licuit. Quin aut valde fallor, aut idem est Gœsianus ille, de quo deinde dicetur. Pergit Cl. Fabricius: *Alii tres MSS. exstant in bibliotheca Medicea.* Horum uno alteroque usus forte est amicus ille Pontederæ & literarum Georgius. Quin suspicari fas est, in Mediceis numerari nunc, & jure quidem, eosdem, quibus usi sunt primo Angelus Politianus, ac post eum Pe. Victorius, quod & ipsum in hujus editionis apparatu erit commemorandum. De illo quidem vix dubito, quem quartum numerat, ac Venetiis exstare dicit Cl. Fabricius in bibliotheca S. Marci, eundem esse, quo duumviri modo laudati usi sunt, nec Venetiis quærendum, sed Florentiæ, apud sodales Divi Marci (nam & ibi colitur Evangelista;) vel in ipsa adeo Medicea: de quinto enim, qui Augustinianorum S.

4. Laudavit Fabr. B. Lat. T. 2. p. 680. locum Poggii Florentini ex dialogo de infelicitate Principum, ubi inter inventos ab illo auctores Latinos, qui ante detruncati & deformes erant, etiam Columella ponitur. Quod si ita est, miror, qui factum sit, ut neque primi typographi, neque Angelus Politianus, neque Victorius, ejus rei aliquam mentionem fecerint. Quid si Mediceæ bibliothecæ Poggiani illi codices Columellæ illati sunt?

Galli fuit a Politiano Victorioque adhibitus, plane dubium non est, quin inter Mediceos sit referendus. Quæ cum ita sint, probabile mihi est, quartum & quintum Fabricii codices, sub tribus Mediceis contineri. Æquum est autem, omnes, qui magna sua cum commoditate utuntur quotidie Fabricianis thesauris, non tantum comiter ferre, si is non viderit omnia: sed etiam pro virili quemque sua nummos aliquot in divitem gazam conferre. Nos quidem hac præfatione tale quid conamur, non autem, quod emendari possunt quædam in libris præstantissimis, viro multis nominibus amabili exprobrare. Addi igitur Fabricianis potest Codex Columellæ collatus, qui exstat in bibliotheca Ed. Bernardi n. 7478, No. 132, p. 227. Catal. MSS. Angliæ: itemque quem Neapoli esse ait in bibliotheca S. Joannis Carbonarii Thomas Bartholinus de peregrinat. Med. p. 26. Sed huic nostræ editioni duo præsertim MSS. profuerunt. Primo Guil. Gœsius Columellam cum optimæ notæ Codice contulerat ad editionem Coloniensem; eamque collationem editioni Parisinæ 1533 adscripserat Janus Broukhusius; qui liber deinde pervenit in bibliothecam Lipsiæ conditam a Jo. Jac. Kæsio, consiliario regis Poloniarum & senatore Lipsiensi, in quam vir ille rei rusticæ studiosus non magis quam peritus magnam vim librorum ad omnes ejus partes pertinentium congesserat. Ex hac igitur bibliotheca primum utendam acceperat Cl. Schœttgenius, deinde etiam mihi ejus copia facta est per THOMAM WAGNERUM ICtum & consiliarium regium,

inter maxima decora sua agricolam etiam & rusticum politissimum. Hinc lectiones omnes etiam in nostram collectionem relatæ sunt. Non autem procedit ea collatio ultra Col. 8, 11, 4: sive non plura habuit antiquum exemplar, sive fatigatus est Gœsius aut Broukhusius 5 adeo. Si prius est, damno conjecturam illam, qua videbatur mihi idem ille Codex San. Germanensis esse, ad quem provocat sæpe Nic. Heinsius: hujus siquidem emendationes ad finem fere librorum progrediuntur. Ceterum adeo sæpe inter se conveniunt, quæ Heinsius laudat, & quæ profert Gœsius, ad cujus familiam illius pervenisse libros constat, ut mirum sit, si sint diversi: si quando dissentire videantur, ut v. g. ad 6 pr. 7; potest fieri, ut conjectura Heinsii *Atticis*, pro lectione ipsius libri *Atticus* arrepta sit. Cum vero salivam eruditis movissent merito Heinsianarum illa emendationum specimina, tentavit quidem aditum ad ea scrinia Schœttgenius, sed responsum tulit triste, *non consensuros esse heredes Heinsianos, ut thesauri isti exteris concedantur.* Bene igitur est, quod vel invitis quibusdam hominibus materia certe, in qua versatum est ingenium Heinsianum, publici nunc juris facta est, qua uti omnes in posterum possint. Præter hoc editionis nostræ ornamentum multis etiam locis salutaris fuit Codex depromtus e bibliotheca amplissimi Ordinis Lipsiensis, thesauro tam referto optimorum librorum;

5. Editio Ro. Stephani collata cum veteri codice Wilh. Gœsii usque ad Lib. VIII c. 8 fuit in bibliotheca Surenhus. p. 63 cum notis MSS. viri docti Fabric. in literis.

quam præclarum ſemper fuit ille ordo virtutis, doctrinæ, humanitatis quaſi armamentarium. Hujus cum jam multas lectiones annotaſſet Schœttgenius, viſum tamen eſt, opportunitate ita ferente, totum de integro codicem conferre, cujus laboris noſtri non pœnitendum ad Columellam & lectores noſtros fructum redundare putamus.

VIII. Sed jam porro de hoc ſcriptore ſeparatim qui meruerint videndum eſt. Hic interpretes excipio, quos deinde commode uno quaſi faſce comprehendemus. Jam PETRARCHÆ in Columellam notas in bibliotheca Vaticana aliquando exſtitiſſe, deprehenſum a ſe ait ex adverſariis philologicis intimi ſui Jo. Rhodii, Jac. Phil. Thomaſinus in Petrar. rediv. c. 7. p. 34. Sed ille quidem labor metuo ne perierit, vel ſi exſtat, ut multum inde juvari Columella poſſit. Plura exſpectare poteramus a PE. NEEDHAMO, qui Geoponicis edendis, quantum in eo genere poſſet, declaravit (vid. Act. Erudit. Lipſ. 1724 p. 376); ſed ille fato nuper functus, anno ſeculi XXXII, ſpem noſtram deſtituit, non minus ac Menagius, qui idem conſilium indicaverat ad Diog. Laert. p. 54. edit. Wetſt. Quid ſi hoc reſervatum eſt Abrahamo Gronovio V. C. qui non alia de cauſa negavit mihi avi ſui, cui principatum in hoc doctrinæ genere deferre ſoleo, obſervata in Columellam, quem diligenter lectitaſſe & emendaſſe mihi conſtabat, quam quod ipſe cogitaret in lucem ea proferre. Utinam, inquam, ea felicitas contingat Viro clariſſimo, ut Needhami & Menagii curas adjicere avitis aliquando poſſit. Nunc

ad ea veniamus, quæ habemus. PHILIPPUS BEROALDUS præfatus ille quidem eſt pauciſſima jam in editione Bonon. 1496 fol. in cujus titulo etiam *cum exſcriptionibus D. Philippi Beroaldi* dari hi ſcriptores dicuntur, h. e. ſi recte interpretor, ex recenſione Beroaldi. Annotationis enim plane nihil hic comparet; ſed lectio a mendis Jenſonianæ, quam alioquin preſſe ſequitur, ſic ſatis diligenter purgata. In editione Regienſi 1499 eadem præfatiuncula Beroaldi habetur, ad nomen typographi accommodata: ſed notas ipſas non vidi prius editas, quam in Aſcenſiana 1529 fol. & cum ibi dicantur literarum ſerie digeſtæ, ſuſpicari licuit, alio habitu, ad ſeriem nimirum ipſius Columellæ, fuiſſe initio diſpoſitas: in Georgii quidem Merulæ explicationibus ita factum, deinde obſervabimus. Poſt Aſcenſianam repetitæ ſunt illæ Beroaldi explicationes, a Galeoto, a Gymnico & a Gryphio. Nos primo cogitaveramus, quales ſunt, indici noſtræ inſerere integras: ſed procedente opere, tum multa in iis deprehendimus bona illa quidem & neceſſaria adeo, cum proderet Beroaldus, ſed poſtea per Lexica omnia ſic vulgata, ut ſine emtorum lectorumque injuria repeti hodie vix poſſe viderentur [6]: alia quædam potius ad emendandum Columellam pertinere

6. Quid v. g. attinebat referre in indicem, quæ de verbo *decuſſare* habet Beroaldus, ac de perfectione numeri denarii, cum jam agnoviſſet præſertim, *Græcam literam*, quam nominat Columella, eſſe χῖ. Ita quæ de conjugatis *fibulæ* diſputat ad 1, 6, 13. ſunt ea bona; ſed olim in Fabro leguntur declarata accuratius &c.

videbam, quibus olim obtemperatum esset in superioribus editionibus, sed nulla tamen viri mentione facta. Hic illud mihi curandum putavi, ut memoria hujus meriti exstet; igitur, in notis tum prioribus, tum post in addendis, quidquid ad hanc classem pertinet, suo auctori vindicavi: explicationum autem tantum servavi, ut habita illa, quam dixi, ratione, potius tamen justo liberalior, quam restrictior videri mallem: scilicet, quæ ad privas voces pertinent, eas indici inserui, alias autem inter annotationes reliquas collocavi.

IX. Superest, ut de decimo libro Columellæ sive hortulo aliquid dicamus, quandoquidem ille privatim suos sibi est fautores nactus; credo quod carmine venusto scriptus, & parvæ molis est. Est igitur penes J. H. Schulzium, medicum & philologum nuper Altorffi, nunc apud Halenses clarissimum, libellus antiquissimus, & in ipsa typographiæ infantia excusus, nisi fallit expressionis ratio adeo imperfecta ac vitiosa, ut cum vitiosissimis MSStis certare possit. Hic igitur libellus in principio hanc habet præscriptionem: *J. Moderati Columellæ hortuli commentarium incipit fœliciter.* in fine autem legitur: *Commentarium J. M. Columellæ finit.* In hoc commentario, quod plagulas tres cum dimidia implet, habentur explicationes, quas plerasque omnes & multo plures damus nomine Julii Pomponii Fortunati inscriptas: sed ita corrupte scriptæ, ita multis verborum compendiis (in charactere non Longobardico, sed Romano erecto, quem antiquum vocant typographi) implicitæ, ita denique traje-

ctæ, truncatæ, repetitionibusque deformatæ, ut magistri cujusdam dictata, a discipulo neque docto neque diligente scripta, & imperitissime typis mandata, sine ipso Columellæ carmine, appareat. Emendatiora pleraque & pleniora, nec tamen illa valde præclara sunt, quæ adscripto nomine JULII (in edit. Regiensi JUNII) POMPONII FORTUNATI circumposita versibus Columellæ leguntur in Bononiensi 1494, Regiensi 1496, & Juntina 1521 7 (nam Aldus & Juntarum prior contemsere) itemque in Ascensiana 1529, ubi intextæ sunt *annotationes virorum illustrium Baptistæ Pii & Philippi Beroaldi, & aliquot aliorum.* Cur dicatur *aliquot aliorum*, non video: certe unicam observavi Jac. Constantini Fanensis ad v. 178, & pauca hinc inde ab Ascensio, ut videtur, Pii observationibus adjecta: sub eo quidem nomine edi curavimus, quæ in Gruteriana lampade (e qua describendas jam curaverat Cl. Schœttgenius) non inventa dederat Ascensius: cum tamen alioquin illa Gruteri editio quibusdam locis sit plenior. Sed de Fortunato pariter ac Pio aliquid hic dicendum est. De illo Pyrrhus Perottus præfatione ad patrui sui cornu copiæ, *Pomponius*, inquit, *Fortunatus, vir seculo nostro doctissimus & Romanæ Academiæ princeps — Nicolaum Perottum Siponti Pontificem patruum meum hortatus est, ut M. Valerium Martialem* &c. Non dubito, quin idem hic sit, cujus in Virgilium commentarii, cum editioni jam parati essent a. 1486, demum in lucem prodierunt

7. Sed vid. quæ dicentur in Indice editionum.

opera Jo. Oporini Basileæ 1544, 8. Cum non vulgata sit hujus viri notitia, juvat ex præfationibus hujus libri docere, quæ ad virum memoria dignum pertinent. JULIUS igitur POMPONIUS SABINUS hic, a patria, credo, semper vocatur: unde FORTUNATI nomen illi hæserit, in Commentarii ad Columellam inscriptione usurpatum, non habeo dicere. Hujus viri in Virgilium commentaria jam 1486, quod diximus, vulgare typis in animum induxerat *Daniel Gaitanus*, eumque dedicaverat *Petro Mannæ, insigni Grammatices & Rhetorices propagatori, quem Cremona quadraginta jam annos legentem, & ex pectore, non ex ore, recitantem tum audiverat, ad quem confugiebant ex ultimis Cisalpinæ Galliæ partibus magnorum principum gnati cum pædagogis erudiendi*; qui, *quoties plenissimo auditorio legebat, ingenua & liberalis juventus singula tanto studio annotabat, ut nulla alicujus didascalia, quam ipsius, doctior effici posse arbitraretur:* cujus etiam *dictata in Ciceronem, Sallustium, Plinium, Livium, Tranquillum, Cæsaris commentarios, (hos libros omnes ad manus habebat) in Ovidium, Lucanum, Silium, Juvenalem, Martialem, Catullum, Propertium, Tibullum, Oratium, Papinium (quorum singulos sæpius perlegerat)* præcipue vero in *Maronem*, miris laudibus effert Daniel. Huic enim Petro Mannæ, quod dicere cœpimus, suo præceptori, Pomponii commentarios dedicat, hac formula usus: *Quare tot tuis cumulatus beneficiis & meritis, Petre præstantissime, hoc meum pignus, mihi vita carius, quod præ omnibus thesauris & deliciis meis, ne ulla pila sive columna venale haberet, congestis un-*

dique ſaccis incubans hactenus ſervavi, non potui diutius penes me continere, quin palam facerem, tuoque ductu & auſpicio illud adjutum omnibus Vergilianum poema interpretantibus impertiri non dubitarem — Adeſt itaque Pomponius Sabinus, vir noſtri temporis doctiſſimus: cujus exactiſſimum Opus in Virgilium viri docti quanto diutius exſpectaverunt impreſſoribus tradi, tanto fortaſſe — Sed ad Sabinum meum redeo. Is eſt unus, qui in præclariſſima illa ac feliciſſima beatiſſimi Pii Pontificis Secundi academia optimas e ſitu literas in lucem cœpit aſſerere, & myſtica illa veterum annalium apophthegmata miro ingenio dilatavit: nec adhuc parcit quotidiana antiquorum Græcorum uti conſuetudine, quos adhuc inclita urbs Roma, cunctarum gentium regina & imperatrix, ad ſui contemplationem trahit, & notas in æs & marmor inciſas ſcrutari. unde conjecturis non ſolum colligit, ſed argumentis quibusdam, eſſe nonnihil, quo adhuc Latina lingua indigeat: & multa in manibus ſunt, quæ propediem lucem habebunt. Hæc Daniel Gaitanus ex urbe Cremona 1486. Verum eo quidem tempore non eſt typis mandatus ille Commentarius, ſed quacunque de cauſa latuit in tenebris, donec ab *D. Arnoldo Arlenio Peraxylo, viro doctiſſimo, aſſerendiſque ab interitu veterum monumentis nato*, nactus illum eſt Jo. Oporinus, qui 1544 eum edidit, quod diximus, judicatque in præfatione, *dignum eſſe Pomponium hunc, cujus etiam reliqua ſcripta, quibus a ſe T. Livium, Corn. Tacitum, Silium Italicum, & alios quosdam explicatos eſſe non uno in loco teſtatur, aliquando in lucem proferantur.* Profitetur porro Oporinus: *Supra ſexcenta loca per librarii in-*

curiam corrupta emendavimus, ut non tam alienam, quam nostram ipsius operam tibi commendare jure optimo videri queamus. Tametsi non omnibus etiam monstris, quæ se in eo nobis offerebant, conficiendis soli esse pares potuerimus. Hæc paulo verbosius de Pomponio nostro referre tanto minus dubitavimus, quod præfationes hæ omissæ sunt postea, licet recuderentur cum Georgii Fabricii Virgilio Servioque ipsi commentarii. Apparet etiam credo ex his, quæ de Virgilianis commentationibus acta sunt, qui fieri possit, ut nomen suo alioqui merito illustre ferant explicationes & disputationes sæpe mediocres, pueriles sæpe, & plane absurdæ. Nimirum non ipse literis talia mandavit Pomponius, sed excepta a rudissimis bonarum rerum auditoribus in vulgus tandem edita sunt. Itaque suspicor, Pomponianos in Virgilium commentarios, quales primo ad Oporinum pervenere, non multo meliores fuisse illo, quem apud Cl. Schulzium esse diximus, libello. Hinc patet, quid voluerit sibi Pius ad Col. 10, 235. scribens: *Insulsissimus interpres Pseudo — Pomponius; non enim ausim credere, talem mentem in hæc errata incidisse.* In hanc sententiam etiam accipi volo, si quid mihi exciderit, quod ad Pomponii injuriam pertinere videatur: itemque illud a me dictum intelligi, quod paulo ante de ejus emendatione commemorabat Oporinus. De ipso Jo. Baptista Pio dicere nihil opus est, postquam Pe. Burmannus, quem honoris causa, statori harum literarum debiti semper appello, in doctissima ad Valerium Flaccum præfatione obscuritati nomen & vitam atque

facta viri eripuit. Hujus viri ad laudem vel illud ſatis eſt, quod Burmannus, *Plurima*, inquit, *jam a me ſcripto conſignata in notis Pii deprehendebam, quæ a me profecta ante credebam, ſed quæ a Pio jam occupata eſſe comperiebam* —. Poſt hæc non moramur, quæ inclementer paſſim in Pium Barthius in Adverſariis, unde quædam etiam translata ſunt ad Col. 10, 40, it. 125, iniquiſſimumque illud Adv. 28, 14, ubi audit illi *Pius homo omnium bonorum auctorum varo quodam ingenio conſpurcator.* Sed addit, verecunde quidem & modeſte, *quamquam non vero tamen etiam ſuæ ſponſæ bene colat fundum.* Sed, quod dixi, mihi videbatur veriorem candidioremque ſententiam dicere Burmannus. Illud jam cœpi dicere, annotationes Pii hic dari, ut a Cl. Schœttgenio ex Lampade Gruteriana excerptæ fuerant, collata tamen paſſim Aſcenſiana editione, quæ interdum potius videbatur ſequenda. Video etiam, omiſſum interdum aliquid a Cl. Schœttgenio, quod vel ipſe ſtatim damnaverat auctor, vel quod alioquin ad rem Columellæ plane non pertineret: qua in re, ſerius inprimis animadverſa, ſtandum ipſius conſilio putabam. Hæc de Pio. Reliquæ hortuli editiones, in quibus nihil novi ornamenti acceſſit, in Catalogo, quem deinde texemus, commemorabuntur. Lancilloti expoſitionem MS. in hortum Columellæ Florentiæ in bibliotheca Medicea pluteo LII eſſe, narrat Cl. Fabricius.

X. Nunc tranſimus ad PALLADIUM, de cujus ætate nihil certi videtur poſſe conſtitui. Illud quidem ſatis apertum, Plinio & Quinctiliano non eſſe

æqualem, quod putabat Christophorus Mylæus apud Scheffer. de re vehic. 2, 6, p. 116. Sed neque Hadriani tempore vixisse potest, qui Apulejum laudet, quo argumento utitur adversus Ludovic. Vivem Casp. Barthius ad Rutilii Itinerar. 1, 207. Neque adhuc, qui nostrum laudaverit, antiquior inventus credo est Cassiodoro, qui divin. lect. c. 28, *Æmilianus*, inquit, *explanatos duodecim* [8] *libros de hortis vel pecoribus aliisque rebus planissima lucidatione disseruit:* unde probabile fit, etiam Isidori Æmilianum ad nostrum esse referendum, quamquam corruptissime ita laudatur 17, 1: *Cornelius Celsus & Julius Atticus Emilianus sive Columella, insignis orator* (arator Basil. 1489) *qui totum corpus eiusdem disciplinæ complexus est.* Nobis, dictionem præsertim & deletum prope Romanum genium, *titulorum* item divisionem, ipsamque appellationem adeo, considerantibus, tanto minus falli aliquis videtur, quanto recentiorem fecerit. Itaque probabilem, dum certius quid proferatur, judicamus sententiam Barthii, qui suspicatur, Palladium Rutilii itiner. 1, 208 esse nostrum, quod tum commune nomen Rutilii, tum alia ibi commemorata suadent: unde nec Petro Burmanno extra veri speciem ista conjectura videtur. De fundis suis in Sardinia ipse Mart. 10, 16. Utrum vero *Neapolitanum territorium*, cujus ibi mentionem facit, in ipsa Sardinia sit, quod nobis auctoritas præsertim MSS. persuasit, an famosior illa Nea-

8. Debebat XIII, etiam non computato de insitionibus carmine. Si est a Cassiodoro, XII menses tantum cogitasse videtur, in quos descripsit opus suum Palladius.

polis? de eo tanto facilius est disputare, cum etiam ibid. f. 24, *in Italia* plantas grandes ficorum se disposuisse commemoret. Itaque nolim temere erroris postulare Antonium Sanfelicium, qui in libro de situ & origine Campaniæ To. IX thes. Ital. Burmann. ex hoc ipso loco Palladii, eum Neapoli, quæ caput regni est, scripsisse colligit. Indicavit mihi hunc locum Cl. Fabricius. Palladii Codice MS. usus est Barthius, cujus observationes damus ex Adversariis; diversus a Leidensi, quod apparet ad 1, 9, 3, præsertim ad 1, 9, 12. Asservatur alius in bibliotheca Rhedingeriana Vratislaviæ (quam in Catone & Varrone jam nominavimus) in titulos divisus, quorum argumenta f. rubricæ interpositæ ipsis titulis sunt: nomen scribitur *Rutilii* & *Emiliani*. Ad MS. quod in bibliotheca Salvinii servetur, provocat in præfatione ad Facciolatum Cl. Pontedera. Quem laudat Felleri Catalogus Palladium bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, eum Cl. Schœttgenius comperit epitomen esse barbaram hoc titulo: *Palladii liber breviatus per Gotfridum tractatus primus de plantationibus arborum*, rel. Sed Vossianum Palladii Codicem, qui in bibliotheca Academiæ Lugdunensis asservatur, accurate conferri jussit, qui Varroni etiam suppetias tulit, vir summus Jac. Perizonius, eamque collationem Cl. Schœttgenio misit, a quo illa porro dextre adhibita, a nobis vero tota in varietatem lectionis relata est. Idem esse videtur hic liber, quo usus est Jo. Frid. Gronovius, ex cujus observationibus hæc pluscula relata sunt. Vid. v. g. ad 1, 6, 5. Quid si idem quo-

que a Vlitio adhibitus? conveniunt certe ad Jan. 12, 3.

XI. VEGETII RENATI artis veterinariæ sive mulomedicinæ libros IV ut scriptoribus rei rusticæ comites darem, primo illud me impulit, quod videbam non materiam tantum nostris cognatam, sed etiam insignem Columellæ locum, apud eum quoque legi; ut mutuam sibi opem uterque scriptor præstare posse videretur. Cum deinde viderem, illud negotium præclare jam actum in tertia Cl. Morgagni epistola, ibique inter se comparatum utrumque scriptorem, ut vix quidquam nobis relinqueretur, abjeceram consilium illud prius; mox tamen ad illud me retuli, cum præter spem mihi offerrentur hinc ab incomparabili humanitate summi viri JO. ALB. FABRICII exemplum Vegetii cum Corbejensi codice 9 collatum, quod ad ipsum ex Gudiana auctione pervenit, unde quamplurimis locis emendatiorem dari hunc scriptorem posse animadvertebam: hinc ab JO. HENR. KROMAYERO, humaniorum literarum in Academia Jenensi Professore clarissimo, amico veteri, quem malo harum literarum fato nuper exstinctum nondum eluxi, primæ editionis exemplar, cum altero Sambuci ac-

9. Adscripsit enim, quisquis primus fuit collationis illius auctor: *Contuli cum exemplari descripto ex MS. codice Corbejensis monasterii, tunc temporis Coloniæ apud S. Pantaleonis deposito.* Item illud: *Codex Corbejensis optimæ notæ admodum antiquus, literis uncialibus exaratus, lacerus tamen & inde* (forte hinc inde) lacunis *deformatus*. Quoties deficiat Corbejensis codex, ex nostris notulis potest intelligi.

curatissimo studio a se compositum. Videbar enim mihi ipse vix reprehensione carere posse, si tantam opportunitatem juvandi operis, nimis fere ad hunc diem neglecti, dimitterem. Ambabus igitur, quod ajunt, amplexus sum munus amicorum, atque illud cum meis conjecturis, & annotationibus, propter alias occupationes, & quod moles operis jam metuebatur, brevissimis, in medium quam potui diligentissime contuli, adjutus aliquoties ab Jo. ZACHARIA PLATNERO, medico non minus quam philologo præstantissimo: perfecique, spero, ut nunc majore parte monstrorum, quæ obsederunt Vegetium, profligata, cognosci commodius, & plus utilitatis præbere studiosis queat. Quæ supersunt pauca, ea forte confici & ipsa poterunt adhibito Codice MS. membranaceo, quem inter libros bibliothecæ Cæsareæ philosophicos & philologicos n. LXXXI numeravit Seb. Tengnagelius, quod subjecit mihi Cl. Fabricius, ut & illud, Vegetii exemplum cum notis MSS. fuisse in bibliotheca Cl. Almelovenii; nec non hoc, Codicem MS. hujus operis fuisse Neapoli apud illustrem virum Josephum Vallettam; idque ipsum opus cum aliis Veterinariis esse Noribergæ penes Gottfridum Thomasium, virum, quem & nos experti sumus humanissimum, sed de hac re propter necessariam festinationem nostram compellare nolebamus; denique hoc, meditatum esse Jo. RHODIUM editionem hujus operis, (id quod observaveram etiam ex ipsius Lexico Scribo. Voc. *Fecula*) atque loca suspecta

castigari sibi petiisse ex MS. Mediceo aliisque, quod constat ex Epistolis ad Heinsium Syll. Burmann. To. V. p. 447, 449, 456, ubi laudat quoque Jordanum Calabrum de equorum natura, qui MS. in bibliotheca Thuana habeatur. [10] Loco, quem medium laudavimus, notat Rhodius, in Sambuci Vegetio quædam aliunde accessisse. Et sane compages hujus operis male quibusdam in locis cohæret. Taceo libro secundo, caput secundum, tertium & quartum bis numerari: illud quidem attento lectori patet, 4, 3, 3 sq. haberi introductionem quasi totius operis, certe distributionem, quæ vel principiis ipsis, vel certe libri tertii ex auctoris consilio initiis conveniat: ita quæ 1, 19 & 20 habentur, ea recurrunt 4, 12 *reliqua*: sunt enim plura, quæ ad hanc quæstionem pertinent. Et quid illud, quod Corbejensis MSti titulus nullam facit Vegetii mentionem, sed ita modo conceptus est, *Digestorum artis mulomedicinæ libri III?* Qui igitur hunc operi indicem præfixit, ille videtur non sola Vegetii nobis dedisse, sed aliunde etiam, inprimis quæ Columella de hoc argumento habet, in unum corpus digessisse. Et sane illud etiam ex varietate lectionis apparet, minime religiose tractatum esse hoc opus, sed diversa exempla a suis dominis ita habita, ut non, quod a Vegetio scriptum esset, rationem haberent, sed quid ipsi convenientissimum

10. Quin etiam illud docet Fabricius, To. 3 p. 137, Casparem Bartholinum Tho. F. jam typographis dedisse Rhodii suasque ipsius observationes; ejusque operis jam primum folium speciminis causa excusum fuisse.

judicarent. hinc medicamenta Vegetianis substituta, quæ vel commodiora putarent, vel parabiliora e. i. g. a. legentibus enim idem patebit.

XII. De GARGILIO MARTIALI subjicere volebamus, quæ ex bibliotheca Latina mediæ ætatis, quæ hac parte excusa quidem erat, sed nondum, cum ista scriberem, publicata, communicavit nobiscum humanissimus Fabricius, quorumque partem jam in bibliotheca Latina dixerat. Sed cum paulo post omnibus ea legendi facultas futura sit in libro, quo carebit nemo, qui ista legit, ac Cl. Schoettgenius iisdem fere veterum locis usus, justam dissertatiunculam de hoc viro scripserit; eam potius hic exstare, & post præfationes reliquas collocari loco XVI debere, visum est. Illud unum licet observare, hoc fragmentum, ne Cassiodoro quidem, quem laudat Schoettgenius, potuisse pulchrum videri, itaque mirifice corruptum esse debere: deinde ex eo, quod ex corpore DIGESTORUM ARTIS MULOMEDICÆ Corbejensi desumtum hoc fragmentum testatur, qui descripsit, confirmari conjecturam nostram de Vegetio, quam paulo ante proposuimus.

XIII. Dicendum etiam est aliquid de semivetere scriptore, quem non edimus illum quidem, sed quo tamen sæpe utimur. Is est PETRUS CRESCENTIUS vel DE CRESCENTIIS, ut ipse se vocat, civis Bononiensis, qui, septuagenarius cum esset, scripsit, & Carolo II, Jerusalem & Siciliæ regi (regnavit ab a. 1287 — 1308) dedicavit opus *commodorum ruralium* XII libris comprehensum, *visum*, *lectum*, *examina-*

tum & approbatum per ſapientiſſimum virum fratrem Aymericum, Magiſtrum ordinis fratrum prædicatorum, & per prudentiſſimos fratres ejus: itemque per peritos in ſcientia naturali univerſitatis ſcholarium civitatis Bononienſis. In epiſtola, qua miſerat opus ſuum Aymerico, quem modo nominavimus, veſtigia mihi deprehendere videbar inquiſitionis, rei eo tempore vehementer agitatæ. *Veſtræ*, inquit, *dominationi eundem* (librum) *grandi affectu offero corrigendum per veſtram prudentiam, quæ ſumma eſt, & veſtrorum fratrum: humiliter ſupplicans, quod ipſius elimetur rubigo, & quod eſt utile non ſpernatur. — Non enim opus*, QUOD DE FIDE NON TRACTAT, *reprobari vel ſperni — ſicut nec eradicatur roſarium quibuſdam ſpinis, ſi multas redolentes exhibeat roſas*, rel. Ceterum de ſe & vita ſua iſta quoque in tertia præfatione Petrus: *Ego, qui tempus adoleſcentiæ in Logica, Medicina, & ſcientia naturali totum conſumſi, & demum nobili Legum ſcientiæ inſudavi, pacifici ſtatus anxius, poſt flendum ſchiſma illius egregiæ urbis, quæ vero & ſibi proprio nomine Bononia, h. e. bona per omnia in omnibus mundi climatibus dicebatur, cognovi, quod commutata unitate & ſtatu pacifico in diſſenſionem, odium & livorem, non erat juſtum illius perverſæ diviſionis immiſcere negotiis: ideoque annis triginta diverſas provincias, cum earum rectoribus circumivi, ſubjectis juſtitiam libenter tribuens, rectoribus fidele conſilium; & civitates in ſuo jure & ſtatu pacifico pro poſſe conſervans. Multoſque libros antiquorum & novorum prudentum perlegi, & diverſas ac varias operationes colentium rura vidi. Demum civitate quo-*

dammodo divina gratia reformata, tædio latæ circuitionis — ad propria redii — ad cultum ruris mentem animumque converti & — actus & commoda ejus, & cujuslibet generis agrorum & plantarum atque animalium doctrinam obscure ac imperfecte ab antiquis traditam, & modernis satis incognitam, de sola Christi liberalitate confisus dilucide, tam secundum prudentum naturalis philosophiæ sententias & rationes apertas, quam ex approbatis experientiis, tradere in scriptis proposui. Liber iste ruralium commodorum dicitur. — Non pœnituit pluscula ponere, cum in quibusdam editionibus omissæ sint, si bene memini, præfationes. Et sane interest lectoris, nosse aliqua ex parte virum, cujus testimoniis sæpe deinde non nos tantum utemur, sed Pontedera quoque & Morgagnus; vide v. g. hujus epistolam 2, 12. Nimirum Catonis, Varronis atque Palladii (de Columella enim non recordor) non sententiis modo, sed verborum longa satis serie sæpe utitur Crescentius: scripsit autem eo tempore, quo antiquissimorum illi codicum facultas esse potuit, ut adeo primæ Crescentii editiones, nondum, quod postea nonnusquam factum suspicor, ad veteres scriptores exactæ, instar MSStorum esse iis, quas dixi, partibus possint: ac nobis quidem non minus, quam præclarus aliquis liber MS. sæpe rebus dubiis, antiquissima editio profuit. De ea vero, & reliquis, deinde dicetur. jam illud monemus, Vegetio usum non videri, neque Hippiatricis antiquis Crescentium: adeo alia omnia, h. e. barbara, membrorum, morborum, instrumentorum nomina; alia medendi ratio: quibus quidem

rebus omnibus melius illi cum Laurentio Rufio convenit.

XIV. Nunc denique quæ fata habuerint rustici nostri, in quantum juncti fuere, videndum est. Utrum exstet liber manuscriptus, qui omnes illos in unum quasi corpus redactos habeat, non habeo dicere. Suspicandi occasionem præbet, quod inter tam multos, quos laudavimus, adhuc nullus est. Palladius solus defuit illi, quo Victorius usus est, codici, quem describit in præfatione explicationis suarum in hos libros castigationum, qui Catonem, Varronem, Columellam, & Martialem Gargilium comprehenderat, quorum ultimi duo perierant. Igitur, quod norimus, conjunctionem illam suam & necessitudinem debent NICOLAO JENSONIO. quamquam enim ille quoque in tria quasi volumina totum hoc corpus divisit, quorum primo Catonem cum Varrone junxit, quod vel præfationes ternæ testantur, quas deinde damus: ab eo tamen tempore plerumque simul editi sunt, & rei rusticæ scriptores κατ' ἐξοχὴν dicti, etsi eodem jure Georgica Virgilii, & Plinii aliquot libri assumi potuissent. Jensonianam igitur editionem, qua antiquior adhuc nulla, quod sciam, innotuit, curavit præcipue GE. MERULA ALEXANDRINUS, quamquam medium nomen fere in his libris omittitur; non autem recensuit solum tres priores (nam Palladium curavit *Franciscus Colucia Verzinensis*) sed etiam enarrationes vocum obscuriorum adjecit, ordine librorum & capitum dispositas initio: quæ in Ascensiana editione primum videntur elementari serie ordinatæ.

De hujus viri vita atque libris quædam dabunt additiones ad Trithemium in Fabricii Bibl. Eccles. p. 233. plura G. Stollius, ob ingenii, morum, doctrinæ elegantiam, ornamentum Jenensis Academiæ merito dicendus, in bibliothecæ suæ historia Germanice nuper edi cœpta p. 15. Nescio an satis sanus sit locus, quem affert ex Gallicis *Novellis* (utemur enim verbo, quod facillime intelligatur, in re novitia) reip. literariæ M. Majo a. 1685. p. 473. *Il traitoit si mal Gileote, qu'il en fut mourir de depit, & de tant de personnes, qu'il attaqua, il n'y en a eu pas une, qui osa mettre la main à la plume, pour se defendre, tant on craignoit d'etre accablé par une replique.* Legitur enim Tomo I Facis Gruterianæ, p. 583 sqq. Cornelii Wittelli Corynthii (melius credo Vitellii Corinthii) defensio Plinii & Domitii Calderini contra Georgium Merulam Alexandrinum ad Hermolaum Barbarum, in cujus procemio tum alias pessime traducitur vivus visensque Merula, tum sua maledicentia in iracundiam conjecisse accusatur præceptorem bene de se meritum Franciscum Philelfum, quæ mortis viro statim causa fuerit. Post hunc PHILIPPI BEROALDI studio emendati videntur quatuor viri. De Columella satis constat, & nos paulo ante commemoravimus. Sed videtur etiam reliquis recensendis aliquid industriæ impendisse: quod ex præfatione, quam loco v damus, intelligas: & docuit nos collatio instituta, multa Jensonianæ peccata in Bononiensi & Regiensi emendata esse. Bruschianam enim consulere non licuit. Illud autem observasse mihi videor, unam quasi se-

dam esse eorum editionum, quæ ante Aldinam prodierunt. Aldus enim edidit hos libros, a JUCUNDO VERONENSI ex vetustis exemplaribus, quod in præfatione profitetur, emendatos; [11] quamquam est etiam, ubi τὰ καλῶς κείμενα videatur movisse. Juntarum deinde editioni priori, a qua vix discedere alteram deprehendimus, operam dedit NICOLAUS ANGELIUS BUCCINENSIS, vir ingenio præstans & doctrina. Hanc in explicatione vocabulorum, quibus utuntur nostri, declaravit: cui cur prælata sit in editionibus posterioribus, illa altera Georgii Alexandrini non video. Hodie neutra valde opus est, postquam in Lexica hæc talia commigrarunt, & quidem majorem partem & accuratiora, & auctoritatibus suis confirmata. Ingenium autem Angelii elucet, quod multos locos in Juntarum libris videas multo clarius legi & explicatius. Quod si libris bonis ita dextre usus est Angelius, bene habet. Sed metus est, ne conjecturæ sint bonam partem: quod inde apparet, quod discessionem sæpe ab illis lectionibus, ita lepidis & planis, facit PETRUS VICTORIUS, ille unus tot librorum sospitator atque Æsculapius.

XV. Quibus ille libris fretus ad emendandos rusticos accesserit, ipse indicat in præfatione, cui locum XI assignavimus. Hic singularem casum rusticorum narrabimus. Quibus codicibus Victorius usus

11. Indicavit mihi Fabricius locum Budæi *de asse* L. V. p. 232. *Jucundus Veronensis, professione architectus, sed antiquariorum diligentissimus, Catonem imprimendum curavit, multaque in eo emendavit & restituit.*

eſt, eos ante diu contulerat cum Jenſoniana editione ANGELUS POLITIANUS, (cujus de laude qui legere vult, adeat Barthii adverſ. 47, 5.) & varietatem omnem marginibus illius commiſerat. Politiani ille liber in Magni Ducis Hetruriæ bibliotheca ſervatur, unde beneficio ANTON. MAGLIABECHII, quem literis adierat Schœttgenius, liberali autem & erudita opera HENR. BRENKMANNI deſcriptæ accuratiſſime Politiani obſervationes poſt longum errorem tandem pervenere ad Thomam Fritſchium, & nunc cum fide in hanc editionem relatæ ſunt. Iisdem codicibus uſum & Victorium, manifeſtiſſime apparebit inſpicientibus v. g. Cato. c. 84. 112, 3. Varr. 3, 17, 4. Quin, quod ad Cat. 1, 4. *expinſi lar* legi ſcribit Victorius in optimo codice, pro quo ipſe *far* conjecerit, illud in Politiani collatione eodem modo ſe habet: nimirum *τῷ lar* ſuperſcriptam *far* eſt. Suſpicioſum id alicui videri poterat: cum conſtet inprimis, Florentiæ etiam nunc eſſe librum Politiani; uſum autem eſſe Victorium etiam aliis ejus viri in hoc genere laboribus, Terentio, ut hoc utar, ad Cic. Fam. 7, 23. & libris juris (Pandecten Florentinum, credo, intelligit) in peroratione notarum ad Colum. ſeu de Arb. 28, 4. Verum enimvero indignum eſt, de candidiſſimo viro tale quid ſuſpicari, qui fateri libenter ſolet, per quos profecerit. Deinde ſi habuiſſet Victorius Politiani collationem, habuiſſet etiam Jenſonianam editionem. Jam vero pluribus ex locis nobis videbamur colligere, neque hanc, neque aliam ſeculi XV, ad manus ſemper optimo ſeni fuiſſe. Inſpiciat,

qui volet, Varr. 2, 4, 20. 2, 11; 1. 3, 5, 14 in *navalia;* it. 3, 5, 4 *in id tectum;* 3, 12, 4 *mares in feminas.* Nam quod Varr. 3, 9, 18 ad eas videtur respicere, illud ex conjectura facere potuit. tamen ad V. 1, 19, 4 Venetiis excusos libros memorat. Et plane abit a Politiani observationibus ad Cat. 95, 3, *nascebit*; itemque ad Cat. 11, 1, *dolia ubi quinque.* Salvus certe apud me Victorii pudor est, si etiam rationem forte omnium reddere non possim. Ceterum castigationum explicationem sive notas optimi viri dedimus comparatione editionum instituta pleniores. sed cum non semper ad manus fuerint, hinc factum est, ut aliquot earum in Addenda conjiciendæ fuerint, inprimis illa nobilis de voce *quandoque:* quem errorem nobis a benevoli lectoris facilitate condonari petimus.

XVI. Alterum in Italia præsidium invenere rustici nostri plerique FULVIUM URSINUM, quem *florem Italiæ suæ extra controversiam* pronuntiabat Lipsius Elect. 1, p. 609. Fulvius igitur Ursinus, ut rem ex ipsius præfatione paulo repetamus altius, cum PET. CIACCONO Hispano Romæ familiariter vivebat, quod ambo essent inter delectos viros, qui Pontificis jussu biblia Græca expolirent, post severiores autem illas de obscuris S. Scripturæ locis habitas disputationes, solebant hi duo aliquem ex nobilibus Latinis scriptoribus perpoliendum suscipere. *In quo quidem genere*, inquit, *scriptionis, cum multa ex illo congressu uterque nostrûm ad communem utilitatem contulerit, tum præcipue in M. Varrone de re rustica, post aliorum in eum editas lucubrationes per-*

purgando communis industria elaboravit. Ad cujus sane libros cum permultæ tum ex vetustis codicibus per nos collatis, tum ex conjectura petitæ correctiones essent a nobis in adversaria relatæ — & Ciacconus morte satis immatura præventus esset — Omnia, quæ ille in suo chirographo ad M. Varronem notasset, edere operæ pretium visum non est, verum illa tantum ex iis excerpere, quæ mihi vel penitus probarentur, vel saltem non improbarentur. Quibus præter ea, qui a me fuerant in eundem scriptorem notata, & cum Ciaccono cum viveret communicata, adjunxi etiam illa, quæ in M. Catonem & L. Columellam, vel ipse jam pridem scripsissem, vel a Jo. Babtista Sighicello scripta accepissem. Quin & alia ad rem rusticam itidem pertinentia olim a me collecta adjeci, notas scilicet ad Kalendarium rusticum Farnesianum & ad veteres inscriptiones fratrum arvalium, itemque ad Servium in Bucolica Virgilii & Georgica, cujus etiam lectiones nonnullas in Commentario Æneidis restitutas non omittendas censui. Deinde etiam de iis, quæ in illa collectione plane ad rem nostram nihil faciunt: quæque jure a nobis prætermissa putamus. Curabunt ea, qui Virgilium, qui Grammaticos veteres edent in posterum. Ceterum longiorem ex Ursini epistola locum describere non pigratus sum, tum ut rationem redderem, cur ipsius nomen adjectum sit annotationibus, non ab ipso solo, sed majorem forte partem a Petro Ciaccono profectis: deinde ut desiderium minuerem hujus in Varronem notarum, quæ in Isaaci Vossii bibliotheca, quæ Leidæ asservatur, esse cum dicantur a Colomesio, rogatus de iis a Schœttgenio

Perizonius respondit, frustra eas a se requisitas. Multa sunt in his Ursini & Ciacconi notis ingenio illorum digna, sed est etiam, ubi audaciores justo videantur illorum conjecturæ. Sæpissime in iis usu mihi venit, quod sibi in Pio accidisse narrantem ante audiebamus Burmannum. Bona nobis pars emendationum nostrarum sic periit. Quod interdum non dissimulavimus, idem nobis in mentem venisse, id eo inprimis consilio factum, si ponderis aliquantum accedere posset conjecturis, de quibus pluribus, tanto intervallo disjunctis, idem videretur. Sed non nobis solis hoc contigisse, etiam Cl. Ponteder æ exemplum docet, qui ab initio certe F. Ursini notis destitutum se fuisse questus est, & tamen eadem dicit, quæ Ursinus ad Varr. 2, 2, 12, & alias. Quin ipse etiam Ursinus ad Varr. 1, 16, 6 de *oleris* appellatione eadem fere dicit, quæ ibid. Scaliger: & quæ ad 1, 19, 3 de *pecuaria* disputantur, ea præceperat Victorius V. L. 31, 23. Solet Ursinus una comprehendere annotatione plures in vicinia locos: nos plerumque ea distraximus, ut suo quodque loco applicari posset: sed est tamen, ubi conjuncta manserunt, ita tamen vicina, ut diligenti lectori molestiam creare non possint.

XVII. Novissime rusticis omnibus commodare conatus est HIERONYMUS COMMELINUS, qui ex mente Pe. Victorii, adhibita etiam Bartholomæi Bruschii editione, suam concinnavit, usus inprimis diligenti & ingeniosa opera FRID. SYLBURGII. Moliebatur opus multo amplius, quod ex præfatione illius, quam damus loco XII, potest intelligi: sed

fatis interceptum eſt: non minus, quam adhuc retenta ſunt, quæ alii viri præclari in hos ſcriptores ſunt conati. In his numeratur a Fabricio & Schœttgenio JOSEPHUS WASSE, Collegii Reginenſis apud Cantabrigienſes ſocius, qui guſtum aliquem dedit, reſtitutis ad Salluſtium aliquot Columellæ locis, quibus etiam uſus eſt laudatus modo Schœttgenius. Sic in eadem Anglia PE. NEEDHAM idem agitaſſe fertur; de quo ſupra diximus, cum de Columella ageremus. Quid JO. CONR. SCHWARZIUS, Director nuper Gymnaſii Coburgenſis factus, in quo diu bonas literas cum ſucceſſu & fama docuit, quid igitur ille in animo habuerit, ex epiſtolis viri doctiſſimi, quæ hanc editionem ornant, intelligitur. Et optandum erat, ut vel ipſe nobis curaſſet hos auctores, vel certe ſua cogitata atque obſervationes ſubmiſiſſet. Egerat quidem cum illo Cl. Schœttgenius, egi & ego, ut ſua, ſi videretur, nobiſcum communicaret, ſed maluit ille, quod nec reprehendimus, ſua ſibi ſeorſim conſilia habere. De ABRAHAMO GRONOVIO v. e. ante diximus, cum de Columella ageremus. Habebit ſane nunc aliquanto minus negotii, ſi quis poſt nos admovere manum ruſticis voluerit: niſi tamen ſibi negotium datum putet peccata noſtra deprehendendi, producendi, emendandi. Neque ego, ſi poſterius fiat, priora deprecor. Quid hic actum ſit, nunc ſimpliciter exponam.

XVIII. Anni viginti, credo, ſunt, cum THOMAS FRITSCHIUS, quo neſcio an majorem bibliopolam noſtra habuerit Germania, vir prudens inprimis, &

literis variis non mediocriter cultus, consilium cepit edendi hosce scriptores, præsidiis, quæ tum haberi possent, omnibus exornatos. Usus erat ad eam rem opera CHRISTIANI SCHŒTTGENII, viri eo tempore juvenis, acris, docti, & perquam diligentis. Ille virorum, quos adhuc commemoravimus, eruditorum notas & observationes in unum corpus digessit, certe ordinem, quo quidque ponendum esset, præscripsit: varias lectiones, quas diximus, (non pervenerant autem ad ipsius manus Mediceæ Politiani) notis suis intexuit, quas quidem momentum aliquod habere crederet: eodem retulit eorum, qui in Lampade Gruteriana habentur, BARTHII item, GRONOVIIQUE, ac TH. CREENII annotationes, ex Adversariis, Observationibus, Animadversionibus illorum excerptas; acceperat etiam a viro illustri GISBERTO CUPERO observationes quasdam in Varronem, neque quidquam intermiserat, quod ad ornandam spartam pertineret. Jacuit deinde opus, credo, quod exspectarentur copiæ illæ Italicæ: & Schœttgenius ad alia vocatus, in manibus Thom. Fritschii diligentiæ suæ fructum reliquit. Circa annum seculi, quod vivimus, XXVI ad me ivit vir ille acerrimus, cum interim non Medicea tantum collatio venisset, sed etiam excitati a Cl. FACCIOLATO Duumviri præstantissimi JO. BAPT. MORGAGNUS & JULIUS PONTEDERA, Patavinæ Academiæ & Medicæ artis, alter Botanices præsertim, Anatomices alter lumina, suos labores doctos sane & ingeniosos liberaliter Fritschio indulsissent, quibus novis subsidiis deinde etiam ac-

cesserunt A. BUCHNERI & C. S. SCHURZFLEISCHII quædam observationes ex bibliotheca, cui tum præeram, Vinariensi desumtæ, itemque eæ, quas ALMELOVEENIUS margini libri sui commiserat, liberalitate Illustris UFFENBACHII, cujus viri nunquam nobis memoria, & grata benevolentiæ illius recordatio, excidet.

XIX. Petiit igitur a me Fritschius, ut universas copias jam denuo meo judicio digererem, quas tandem aliquando in lucem edere posset. Putabam initio, laboris tantum & diligentiæ mediocris opus futurum, ingenio aut doctrinæ qualicunque vix locum relictum iri. Sed aliter evenit. Illam fundi hujus calamitatem vel præcipuam animadvertebam, quod nemo unus operam dedisse videretur virorum doctorum, qui a Victorii inde ætate hos scriptores attigerunt, ut uno quasi tenore perlectis semel iterumque & perceptis hisce rei rusticæ præceptis, ante omnia & orationi quatuor virorum & sententiis ita assuesceret, ut illos tanquam suos amicos & de sententiis & de verbis nosset: ex quo & falsas interpretationes nonnunquam, & emendationes non necessarias, quin corruptiones potius, oriri in aliis sæpe didiceram. Primum igitur omnium summa diligentia totos mihi unoque quasi spiritu cognoscendos sumsi hos libros, ut non ad omnia solum, quantum possem, attenderem, verum etiam in indicem referrem, quidquid ad verba vel res explicandas pertinere videretur; speroque hanc rem non tantum eo profuturam lectoribus, quod pro Lexico uti poterunt rustico, inprimis cum in illum mul-

tæ obſervationes tum noſtræ, tum aliorum conjectæ ſint: ſed multis in locis ſententiam auctorum aperire facilius, eorumque tueri integritatem nobis licuit, quod præſertim in Urſini audacioribus conjecturis ſæpiuſcule fuit neceſſarium. Commode hic nobis accidit, & commodius multo lectoribus accidet, illa capitum quæ vocantur & titulorum in minora ſegmenta diviſio, jam a Schœttgenio inſtituta, quæ etiam ad paralleliſmum, quem vocant, indicandum, unum optimum interpretandi libros quoſcunque inſtrumentum, apprime utilis eſt, ut mirer, rem ita facilem, & olim cognitam, negligi fere in ſplendididis librorum antiquorum editionibus, præſertim cum metus non ſit, ne ea ſimilia bonis libris vulnera infligat, qualibus capitum illa diviſio occaſionem dedit.

XX. Hic locus eſt plura de infelici illa cápitum diviſione, conjunctis ei rei lemmatibus diſputandi; qua de re viſum eſt hic uno loco ita dicere, ut totam complecti aliquis animo poſſit, ac tum in his, tum in aliis libris eorum, quæ hic diſputata ſunt, meminiſſe. Jam ipſos antiquos ſcriptores uno fere tenore & continuatione libros ſcripſiſſe, ſatis conſtat, ut non tantum hiſtorias in unum perpetuum & undique cohærens corpus redigerent; ſed ea etiam, quæ diverſitatem aliquam habent, arte quadam inter ſe devincirent, latentibus, ut in Corinthia columna, membrorum finibus, aut in ſtatuarii opere commiſſuris, & ſubtiliter permixtis, velut in pictura extremis partis cujuſque lineis. Cujus rei neſcio an clarius & mirabilius exemplum exſtet Ovidiano Me-

tamorphoſeon opere: quod qui uno quaſi ſpiritu legere volet, ille demum poetæ ingenium mirabitur, qui mille partes diſſimillimas ita inter ſe coagmentaverit, ut uno ſolido factum marmore totum illud templum videatur. Ita quam apte Plinius ille naturæ hiſtoricus tranſitione res ſæpe diverſiſſimas connectit? ut unum voluiſſe illum librum uno quaſi protelo percurrere appareat. Quæ cum ita ſint, diſſecuiſſe antiquos, quæ ſcripſiſſent, in partes libris ipſis minores, non eſt probabile: qui librorum ipſam diviſionem ad voluminum & chartarum modum neceſſitate quadam attemperaverint.

XXI. Sed exortum tamen mature eſt genus quoddam, unde gradus ad capitum, quæ vocant diviſiones factus eſt. Nimirum qui de rebus diverſis ſcriberent, quas non omnes omnis palati eſſe prævidérent, ii ſolebant *indices* quosdam, *lemmata*, *ſummaria* (his enim utuntur unius ejusdemque rei nominibus auctores idonei) apponere libris ſuis, ſed non partibus eorum, quas ita diſtrahere & lacerare nolebant, verum uno in loco ſub conſpectum legentis ponebant uniuſcujuſque argumentum libri. Hoc Valerius Soranus fecerat, cujus ſe exemplum ſecutum ait Plinius in ipſo præfactionis fine, cui indicem illum ſubjungit, quo liber totus primus impletur. Hoc Gellius, hoc Solinus fecit, de quorum ſummariis pleniſſime, ut ſolet, diſputat in præfatione ad opus magnum Claudius Salmaſius. Quod vero ait, ab initio tantum operis, & poſt præfationem poſitos id genus indices, oblitus eſt credo Columellæ noſtri, qui diſerte docet in ipſo

fine libri, qui undecimus nobis eſt, ſe illo loco *omnium librorum ſuorum argumenta ſubjeciſſe, ut, cum res exegiſſet, facile reperiri poſſit, quid in quoque quærendum, & qualiter quidque faciendum ſit.* & habet in eo ipſo loco lemmata Lipſienſis Codex & Gœſianus, nec ipſa tamen multum editis meliora, aut talia, qualia a Columella ſcripta jure putes. Quin Martiàlis quibusdam epigrammatibus, v. g. Xeniis, niſi tamen ænigmata voluit ſcribere, pleriſque, appoſita lemmata fuiſſe, nec aliter potuiſſe, res ipſa loquitur. Alia quæſtio eſt, utrum ea, quæ habemus, ſint Martialis, quod de toto hoc genere merito negat Sanctius Minervæ 3, 14, p. 507. Sed illud plane diverſum ſcriptionis genus eſt, & a noſtro propoſito alienum.

XXII. De noſtris illud tenendum: Varronis quidem & Columellæ libros ita inter ſe cohærere, ut diviſio in capita, quæ nunc habetur, plane auctorum conſilio repugnet. Teſtantur hoc ipſi etiam antiquiſſimi libri, qualem Varronis non ipſe modo Victorius tractavit, ſed item etiam de eo oſtendit, quo Nonius uſus eſt. vide illum in ipſo explicationis ſuarum in Varronem caſtigationum principio, itemque ad 1, 60, 1. quem compilavit ſuo more Popma ad Varr. 3, 17, 9. Et quo quiſque antiquior eſt Columellæ liber, eo minus diſcerptus eſt, eo minus habet lemmatum. Palladius vero in *titulos*, quos ipſe vocat, opus ſuum diſtribuit, ſi ipſi credimus Oct. 12, 9: verum ita, opinor, ut non interponeret lemmata ab orationis ſerie ſejuncta, ſed primis fere tituli cujuſque verbis indicaret illius ar-

gumentum. Eandem fere rationem, ut retro quasi tandem ad hunc veniamus, cui primæ debentur alioquin, Priscus ille Cato noster tenuisse videtur. Ille enim, modo liber, qualem nunc habemus, talis de manu ipsius exierit, qua de re ante disputabamus; Cato igitur, ut quidquid usu venit aut memoriam subiit, ita in chartam conjecit, nulla ratione habita ordinis, sic tamen, ut primis fere verbis, quoties scribere inciperet, qua de re dicturus esset, indicaret. Hæc ita se habere tanto videbit apertius, quo quisque diligentius ad libros veteres attenderit.

XXIII. Jam quibus quasi gradibus in eum statum res pervenerit, quo nunc est, videamus. Primum vel auctorum ipsorum argumenta, (quæ seorsim ipsi universa posuerant, uti diximus) vel, idque multo frequentius, alia quæcunque lemmata margini commiserunt ipsorum locorum, ad quæ pertinent, raro illi quidem omnium, sed prout usus, libido, impetus, aut quælibet altera causa suasisset, nunc densiora, nunc rariora, longa, brevia, apta, inepta: cujus rei exempla plura inveniet, qui vel ad dimidiam horam in manus sumere Lipsiensem Columellam voluerit. II. Quoties vero ita conveniret, ut verba ipsius auctoris lemmatis instar esse possent, ea ipsa indicis loco in margine posuerunt. vid. Cat. 10. it. 11 & 12, pr. it. 37. 57. 66. 106. 107. 110. 136. 161. Varr. 1, 59. 1, 60. Col. 12, 46 & 47. III. Cum libri antiquissimi una serie atque tenore scripti essent, iique distinctionibus & interpunctis, quibus nunc utimur,

fere carerent, non potuit fieri, ut accurate satis lemmata illa responderent auctorum verbis: quare supervenientibus librariis imperitis atque barbaris, qui vellent superare ornatu archetypos suos, & indices illos, quos, *rubricæ* ut fierent, minio pingebant, tanquam emblemata quædam intexere, sæpissime absurdum in modum distracta sunt, quæ auctores volebant conjunctissima. Vid. e. c. Col. 2, 11, 1. 4, 12 & 13 itemque 16 & 17. Col. 12, 11 & 12, tum 14 & 15. Ita pars ultima cap. 51 ad 52 adjuncta. Ac poterat illis malis acutior aliquis facile mederi. sed ut est prona in vitia mortalitas, successerunt interdum his, qui medicinam multo pejorem facerent, & ita concinnarent verba, ut vestigia illa continuatæ orationis abolerentur, certe obscurarenter.. IV. Porro cum otiosa aliis viderentur verba iterum posita, & rubricam solam servarent, eam vero ipsam, alii vel differrent minii defectu, paulo post explendam, vel plane ornatum non necessarium omitterent: ea res truncandis capitibus occasionem dedit. Exempla supra ad n. II. dedimus. V. Denique alii, vel ut minio parcerent, vel alia de causa, vel temeritate, ea, quæ lemmatis stationem tueri verba aliena debebant, ipsius auctoris contexto immiscuerunt. e. g. C. 3, 7 extr. Var. Lect.

XXIV. Post multiplicem illam a lemmatis calamitatem, mirum non est, I. quæ hodie interposita leguntur Catoni & reliquis, ea vehementer inter se invicem discrepare, ut nulli fere libro cum altero conveniat, nisi quod, ut quisque est antiquis-

simus, ita minime illis phaleris ornatur. II. Sententiæ auctoris sæpe adversari, vel quod distrahunt, quæ conjuncta esse debebant, vel quod vix partem aliquam attingunt eorum, quæ tamen comprehendere videntur omnia. III. Quæ tolerabilia sunt, ea fere ex ipsorum verbis auctorum repetita, aut plane ex lemmatum statione ad contextum orationis revocanda esse. Quæ cum ita sint, non reprehendendum credo consilium nostrum, quod I capitum quidem divisionem, a primis inde editoribus acceptam, qualis Commelino placuit, servavimus: non quod ea commodissima sit omnium, sed quod ad eam fere provocatum adhuc est in sexcentis libris. quam ob causam non posset sine lectorum injuria omitti. Lemmata autem a contexto auctoris plane removimus, si qua tamen ad corpus ipsum orationis pertinere viderentur, ea revocavimus in stationem suam. verbo, operam dedimus, ut, quantum ejus fieri posset, prisca facies hac etiam parte bonis rusticis rediret. Denique lemmata Commeliniana scriptoribus præposuimus, collata in Columella cum Lipsiensis codicis lemmatibus iis, quæ undecimo nostræ divisionis, sive, ut ille librarius numerat, duodecimo libro subjecta sunt, ut vel hoc solo specimine, quæ de varietate lemmatum diximus, confirmentur. Plura passim adnotavimus, hic non repetenda. Illud solum juvat adjecisse, Meursii iras & stomachum bonam partem in vulneribus Catoni per lemmata illatis occupari; Clariss. Pontederam per totum Catonem in eadem lemmata crisin sanam & salutarem posterioribus ad-

d 3

notationibus suis exercuisse: Cl. Morgagnum autem Ep. 1, 63 luculenter ostendisse, quam contra mentem auctoris Columellæ capita quæ vocantur sæpe divisa sint.

XXV. Jam ut pergamus commemorare, quid a nobis sit præstitum, varietatem lectionis tum in MSS. tum in editis, quarum deinde Catalogum dabimus, observatam, separatim sub unum conspectum posuimus, compendio ea in re & notis usi, quas post Catalogum explicatas dabimus, qua in re non modo fastidio lectorum consuluimus, qui hæc non amant, quod nunc tanto facilius ea possunt prætermittere; & voluntati eorum, qui brevi via ingenia veterum & recentiorum librariorum discere cupiunt, & ad Criticam facultatem adspirare [12]: sed etiam spatii multum lucrati sumus. Quid? quod pluribus Meursii in Catonem notis plane supersedere potuimus. Usi sumus simili libertate nonnunquam in Clarissimi Pontederæ adnotationibus; non ut integras omitteremus, neque enim ille unquam solam varietatem proposuisse contentus fuit, sed ut jam positam a nobis varietatem non repeteremus. Ita interdum loca, ex auctoribus nostris plenius laudata a Viro doctissimo, non tota posuimus, sed indicavimus tantum librum, caput, segmentum, ubi legerentur. Cum enim ille ita scripserit suas adnotationes, ut legi per se intelligique possint, etiamsi

12. Qui hac mente sunt, iis non legendam, sed ediscendam jam alias commendavimus auream BURMANNI in Justinum 1722, 12. editum præfationem, quæ mirifice nos confirmavit.

quis libros nostros ad manus non haberet, concedendum hoc nobis fuit, ut non cogerentur emtores, in quibus sunt multi viri boni, sed non nimis beati, certe nummati modice, bis emere, aut sæpius in eodem libro expressa verba eadem, quæ facili nimis negotio possent evolvere. In Cl. SCHŒTTGENII adnotationibus usi sumus ea libertate, quam ipse nobis ultro per literas detulit, operamque studiose dedimus, ut pudoris utriusque nostrum ratio constaret; neque spero unquam futurum, ut vel ipse vel alius quisquam candorem in nobis honestatisve ullam partem desideret.

XXVI. Atque utinam æque facile alios cavere errores atque peccata potuissemus, quorum ea demum lege veniam nobis dari petimus, si consilio & volentes neminem hic hominem læsimus, errorem suum aspere exprobravimus nemini, laudem suam nemini invidimus, alienam ipsi invadere nunquam sumus conati. Tanto æquius nobiscum agent idonei harum rerum arbitri, quod per cursum hujus operis varie ita sumus jactati, ut non uno tenore, & per tranquillitatem quandam, hoc agere potuerimus, sed sæpe nimis vel mutare consilia, vel ad intermissa redire, coacti simus. Intercessit enim, ne alia commemorem, non dicenda, nisi cogamur, per hosce novem annos, quibus hoc saxum volvimus, primo mors THOMÆ FRITSCHII, quæ incredibilem rebus nostris plagam intulit; deinde multo luctuosius ut reip. ita nobis fatum WILHELMI ERNESTI, Principis Vinariensis, quod nos bibliotheca una locupletissima ejus instrumenti, quo hic opus

erat, mox urbe ipſa excuſſit, & migrare per CXX millia paſſuum coegit Onoldum, urbem longe illam quidem mihi dulciſſimam, vel quod patria eſt, & pueritiæ noſtræ nidus, vel quod principes habet & proceres in me indulgentiſſimos, vel quod humaniſſimis viris abundat & nobis amicis; ſed ubi propter alia impedimenta nulla ſpes erat perficiendi. Hinc Lipſiam remigrare per CLX M. P. juſſus, inveni denuo bibliothecas & commoditates reliquas; inveni CASPAREM FRITSCHIUM, qui fratrem mihi ſuum redderet, & cum ſua liberalitate animum mihi adderet, ad telam ſtrenue pertexendam, tum quod cultum operi eum deſtinaret præſtaretque, quem in hoc genere neſcio an viderit Germania. Sed morbum etiam inveni, qui per binos impetus plures mihi menſes eriperet: labores inveni plures quam putabam &c.

M. PORCII CATONIS VITA EX PLUTARCHI GRÆCO

LATINE REDDITA.

M. Catonem ferunt, Tusculo oriundum, habitasse & vitam egisse, priusquam stipendia faceret & rempublicam capesseret, in prædiis paternis in Sabinis. Cujus majores cum in totum ignobiles haberentur, ipse Marcum patrem Cato, ut egregium virum & strenuum militem, celebrat. Catonem etiam proavum dona militaria sæpius refert obtinuisse: ac cum bellatores equos quinque amisisset in conflictibus, pretium ei ex ærario virtutis causa redditum. Quia vero solent Romani obscuro genere ortos, qui incipiunt actibus inclarescere suis, novos homines appellare, ut etiam appellabant Catonem, novum ille se ad magistratus & claritatem, sed factis majorum virtutibusque ferebat pervetustum esse. Dictus fuit ante tertio nomine non Cato, sed Priscus: post Catonis nomen traxit a sollertia. Romani enim experientem Catum vocitant. Facie fuit subrufus & cæsius, ut declarat maligne satis ille, qui hoc minutum epigramma fecit:

Rufum, mordacem, glaucum, ne quidem exanimatum
Porcium in infernum Persephone recipit.

Corporis constitutionem laboribus suis, sobrio victu & expeditionibus, in quibus a prima ætate adolevit, perquam paraverat habilem, ad roburque & sanitatem juxta comparatam. Orationem vero, sicut alterum corpus & organum, non honestum modo, verum etiam necessarium viro, qui non in obscuro sit, neque in otio victurus, continuo patrocinio eorum, qui operam suam requirebant, in finitimis vicis & oppidulis instruebat & aptabat. Ac primum acris habitus est causarum actor, deinde orator insignis. Hinc fuit utentibus eo morum gravitas & pondus magis conspicuum, quod latum campum & rempublicam requireret rerum dominam. Non modo enim a quæstu judiciario forensique præbuit se integrum, sed nec gloriam videbatur ab illa palæstra, ut summum præmium, sectari. Ceterum quia inclarescere ex pugnis potius cum hoste ineundis atque armis adolescens etiamnum gestiebat, corpus habebat adversis cicatricibus oppletum. nam ait ipse, annos natum septemdecim prima se stipendia fecisse, quo tempore Hannibal secundis prœliis usus incendebat Italiam. In acie exhibebat se manu strenuum, loco stabilem & immotum, vultu ferocem. Verborum minis & asperitate vocis adversus hostes utebatur: recte sentiens & docens, plus sæpenumero iis rebus, quam gladio, percelli hostes. Ferebat per expeditiones ipse in agmine arma. Servus eum sequebatur unus, qui cibaria ejus portabat: cui dicitur, prandium, vel cœnam apponenti, nusquam succensuisse, aut objurgasse, immo expletis muneribus mi-

litaribus, eum ipse adjuvisse fere, atque una manum admovisse. Potabat in expeditionibus aquam: extra quam, si immenso æstu sitiret, tum potabat acetum, aut fatiscentibus viribus, postremo loco parum vini sumebat.

Erat agris ejus casa Manii Curii, qui ter triumphavit, vicina. Quo cum commearet assidue, prædiique angustias & penatium spectaret humilitatem, subiit eum illius viri cogitatio, qui, cum inter Romanos esset maximus, & gentes subegisset maxime bellicosas, atque Pyrrhum Italia submovisset, hoc rusculum ipse foderet, & hanc habitaret casam post tres triumphos: ibi ad focum sedentem, atque ipsum rapas elixantem, cum reperissent legati Samnitium, magnum auri pondus ei obtulerint: quos rejecerit, negans esse ei auro opus, cui talis sufficeret cœna; malle autem vincere se aurum habentes, quam ipsum habere. Hæc secum volvens abibat Cato, & domum suam ex altera parte contemplans, & prædia, & servitia, & victum, intendit laborem, sumtusque immodicos circumcidit. Cum Fabius Maximus Tarentum reciperet, sub eo forte admodum adolescens militabat Cato. Hospitio usus Nearchi cujusdam Pythagorici, desideravit eam disciplinam intelligere. De iisdem cum disserentem illum audivisset, quibus usus Plato est, (qui voluptatem maximam mali escam vocat: calamitatem animæ primam, corpus: liberationem & purgationem, illas cogitationes, quibus maxime a corporis affectibus avocat & abducit se ipsam) amplexus est multo acrius frugalitatem & continentiam. Alioquin literas Græcas sero traditur attigisse, atque admodum provectus ætate libros Græcos in

manus sumsisse: fuisseque aliquantulum ei a Thucydide, plus a Demosthene, collatum ad dicendum. Scripta ejus certe Græcorum præceptis & exemplis satis sunt aspersa, multaque ad verbum reddita facetiis & sententiis inclusit suis.

Erat Romæ ex nobilitate unus ex principibus, magnæque auctoritatis, qui & nascentem virtutem advertere mire poterat, & candidus in alenda & efferenda erat ad gloriam, Valerius Flaccus. Hic habebat prædia vicina Catoni. Cujus cum labores & rationes vivendi accepisset a servis, mirareturque, cum narrarent illi, mane eum forum adire, & præsto esse iis, qui opus haberent: regressum ad villam, tempore brumali vestitum exomide, æstate operari cum illis nudum, eadem mensa, eodem vesci pane, atque idem vinum bibere: simulque magnam ejus aliam humanitatem & moderationem, ad hæc facete dicta sententiasque referrent: jussit eum vocari ad cœnam. Hinc ex consuetudine animadvertens, ingenium ejus placidum & civile, plantæ modo culturam & locum illustrem requirere, invitavit eum & perpulit, ut Romæ se ad rempublicam accommodaret. Quo ubi commigravit, multos illico, qui eum observarent & diligerent, patrociniis comparavit. Promovente eum enixe ad honores Valerio, tribunatum primo loco adeptus est, inde functus quæstura. Hinc inclitus per se jam spectatusque, maximos honores cum ipso Valerio gessit: consul cum eo fuit, inde censor. Ex majoribus natu civibus ad Fabium Maximum accommodavit se: cujus, quamvis clarissimi viri & summæ auctoritatis, impensius tamen mores & vitam, ut præclarissima exempla, ob oculos posuit. Unde Afri-

canum majorem, qui, quamvis id temporis juvenis esset, adversus potentiam tamen insurgebat Fabii, qui æmulari videbatur cum eo, non dubitavit oppugnare. Sed & quæstor cum eo ad bellum in Africam missus, ubi usurpare cernit eum solitam profusionem, & pecuniam prodige effundere in milites, admonuit eum libere: nec tanti sumtus demonstravit se facere, sed quod, militibus ad voluptates & luxum affluentia ultra res necessarias traductis, patriam frugalitatem labefactaret. Cui cum respondisset Scipio, non indigere se quæstore nimium attento, qui ad bellum plenis veheretur velis, (factorum enim debere se, non pecuniæ, populo rationem reddere) discessit Cato ex Sicilia, & cum Fabio infinitæ pecuniæ dissipationem Scipionis, ejusque luxuriosas in palæstris & theatris commorationes apud Patres insectans, quasi non exercitum ductaret, sed dies festos agitaret, effecit, ut mitterentur ad eum tribuni plebis, qui, si ita rem habere comperissent, retraherent eum Romam. At Scipio, cum in belli apparatu ostendisset victoriam inesse, notassentque illi, eum vivere per otium cum amicis hilariter, ac minime esse ob liberalitatem in seriis & gravibus rebus socordem, profectus est ad bellum.

At Cato magnam potentiam collegit facundia, multique eum Demosthenem togatum appellabant. Vita ejus tamen nobilitabatur, celebrabaturque magis. Quippe dicendi facultas communis jam palæstra juvenibus, quo enitebantur omnes, proposita erat. Qui vero labores prisco more subiret, frugalem cœnam, incoctum prandium, vestis simplicitatem, & plebejos penates amaret, quique magis duceret gloriosum, non indigere ma-

gnificis rebus, quam illas possidere, rarus erat: quod jam tum suam respublica integritatem non retineret ob magnitudinem, sed provinciarum & gentium imperio multarum tum multis misceretur moribus, variorumque vivendi institutorum susciperet exempla. Erat igitur merito in admiratione Cato, cum alios laboribus fatiscentes & flaccescentes cernerent deliciis, illum vero ab utrisque invictum, non tantum in flore ætatis, & dum honores peteret, sed senem etiam & canum post consulatum & triumphum, sicut victorem athletam, institutum exercitationis tuentem, & ad exitum usque vitæ æqualiter in eo persistentem. Siquidem vestem nunquam induisse ait se, quæ pluris esset centum denariis: vinum in prætura & consulatu idem, quod & operas, bibisse; epulas ad cœnam ex foro triginta comparasse assibus: idque facere reipublicæ causa, quo corpus suum esset ad perferendam militiam robustum: stragulam vestem cum ex pictis Babylonicam hereditate accepisset, statim distraxisse: nullam villam suam tectorio inductam: mancipium nunquam plus mille quingentis denariis emisse, quod nec molles, nec formosos, verum operosos & valentes, ut equisones & bubulcos, quæreret; quos, ubi consenuissent, venundandos putabat, neque alendos inutiles. Breviter nihil vilis esse pretii, quod superfluum foret: sed quo non indigeas, etiamsi vel asse veniit, se carum ducere. Comparare arva & pascua potius, quam irriguos & nitidos hortos.

Hæc nimiæ parsimoniæ ejus adscribunt aliqui: alii, quasi ad emendandos & reprimendos ceteros adstringeret semetipse arctius, comprobant; nisi hoc, quod, sicut jumentis, servis abusus, expelleret & venderet eos

in senio, moribus ego attribuo nimis austeris, nec ullum existimantibus extra quæstum homini esse cum homine consortium. Atqui benignitati videmus, quam justitiæ, latiorem patere campum. Lege enim & justitia uti erga solos homines valemus: beneficentiam & merita porrigimus nonnunquam & ad bruta animantia; quippe emanant, velut ex largo fonte, mansuetudine. Pertinent namque equorum labore confectorum alimenta, & canum non incunabula modo, sed & senectutis cura, ad mitem hominem. Populus Atheniensis, cum ædificaret Hecatompedon, quascunque notavit mulas laborum maxime tolerantes, dimisit liberas pascere vinculis solutas. Atque unam ferunt liberatarum ultro ad opera descendisse, unaque cum jumentis, quæ in arcem trahebant plaustra, cucurrisse & præisse, tanquam adhortantem ea & excitantem; cui publice scivit usque ad mortem alimenta. Cimonis equarum, quibus Olympiis ter palmam tulit, etiam exstant sepulturæ juxta illius monumenta. Canes domesticos & familiares cum multi alii, tum Xanthippus priscus suum, qui natans navem suam Salamina usque fuerat comitatus, cum relinqueret urbem populus, in promontorio funeravit, quod Canis sepulcrum etiam hodie vocant. Neque enim animantibus est, ut calceis & utensilibus, utendum, quo fessa & ministeriis projiciamus attrita: sed si nihil aliud, meditandæ certe humanitatis causa debemus in his nos ante ad mansuetudinem & benignitatem assuefacere. Ego ne bovem quidem operarium, ob senium, nedum affectum ætate hominem, ex loco usitato & vita consueta, velut ex patria migrantem, pecuniola aliqua venundem, inutilem juxta ementibus ac vendentibus fu-

turum. Cato vero gloriabundus ex his, etiam equum ait se, quo in expeditionibus consul usus fuerat, ne reipublicæ imputaret naulum, reliquisse in Hispania. Hæc animi magnitudini sordibusne assignanda sint, prout opinio tua fert, statuas licet.

Ob reliquam temperantiam certe vir inprimis memorabilis fuit; quod dux exercitus non amplius sibi & suis tritici ternis medimnis Atticis mense acciperet, hordei jumentis sesquimedimno minus. Provinciam sortitus Sardiniam, cum superiores prætores accipere publice tentoria, lectos, togas soliti essent, magnoque famulitio, caterva amicorum, sumtuque & paratu cœnarum onerarent provinciales, ille disparitatem incredibilem fecit frugalitatis: nulla enim in re impensa publica indiguit. Oppida ipse sine vehiculo pedibus obibat, unus sequebatur accensus, qui ei vestem & cymbium ad libandum portabat. In his cum ita facilem & communem præberet se subditis, e diverso severitatem & gravitatem repræsentabat; adeo inflexibilis in jure dicendo, atque in edictis publicis imperiosus atque rigidus, ut imperium Romanum nunquam illis vel formidabilius fuerit, vel jucundius.

Parem repræsentat oratio ejus figuram. Lepida enim simul & gravis erat, jucunda & terrorem incutiens, faceta & austera, sententiosa & contentiosa. Qualem Plato Socratem dicit, foris rudem, dicacem & mordacem visum convenientibus; intus serii plenum fuisse, & rerum, quæ lacrimas excirent, & cor versarent auditorum. Quare nescio, quid moverit nonnullos, ut Catonis dictionem Lysiæ orationi compararent potissimum. Verum hæc illi, ad quos potius pertinet orationum

Latinarum assequi genera, disceptent: nos, qui multo magis oratione, quam vultu, ut quorundam fert opinio, mores hominum contendimus perspici, pauca dicta ejus colligemus.

Cum aliquando plebem Romanam, importune annonam & largitiones flagitantem, revocaturus esset, sumsit hujuscemodi exordium: Difficile est, Quirites, ad ventrem auribus carentem verba facere. Reprehendens luxuriam civitatis, Arduum est, inquit, eam salvam esse civitatem, ubi pluris piscis, quam bos, veneat. Similem esse ait populum Romanum ovibus. Ut enim illæ seorsum singulæ non parent, sed universæ gregatim sequuntur ductores: ita vos quoque, inquit, quorum consilio nemo vestrûm utatur privatim, ab his in cœtum coacti ducimini. De mulierum potentia differens, Omnes, infit, mortales mulieribus imperant, nos omnibus mortalibus, nobis mulieres. Ceterum hoc ex Themistoclis facetiis traductum est. Ille namque, cum magnopere dominaretur in se per matrem filius, Populus Atheniensis, mulier, inquit, Græcis imperat, ego populo Atheniensi, tu mihi, tibi filius: quare moderate utatur potestate, qua insipiens ille plus Græcis pollet. Populum Romanum ait Cato non purpuræ modo, sed studiis etiam, facere auctoritatem. Ut enim infectores, inquit, hanc maxime tingunt, quam vident esse gratam: ita juventus hæc præ ceteris discit & sectatur, quibus honos habetur a vobis. Hortabatur cives, si virtute & continentia magni evasissent, ne ad deterius deflecterent; sin intemperantia & vitiis, ut traducerent se ad meliora: satis enim crevisse eos per illa. Eos, qui consulatum ambirent sæpius, dicebat more illorum, qui

viam ignorent, ſemper cupere, ne errent, incedere cum lictoribus. Increpabat cives, quod crebro eosdem conſules deſignarent. Videbimini, inquit, aut non magni conſulatum, aut non multos conſulatu ducere dignos. De quodam inimico ſuo, qui turpiter & fœde vivebat, Hujus, inquit, mater pro exſecratione, non voto, putat ipſum ſuperſtitem relinquere. Quendam, qui agros paternos ad mare ſitos venumdederat, monſtrans, demirari ſimulabat tanquam pelago validiorem. Quæ enim illud ægre lambit, hic facile, inquit, devoravit. Cum regem Eumenem, qui Romam venerat, maximo honore excepiſſet ſenatus, principeſque eum certatim amplecterentur, non diſſimulavit Cato, ſe ſuſpectum eum habere atque averſari. cui cum diceret quidam, Atqui bonus eſt & populi Romani cupidus; Sit ſane, inquit: at hoc animal, rex, natura eſt carnivorum. Nemo vel ex laudatiſſimis regibus cum Epaminonda ſit, vel Pericle, vel Themiſtocle, vel Manio Curio, vel Hamilcare, Barchino cognomine, conferendus. Sibi dicebat invidere æmulos, quod quotidie de nocte, & poſthabitis rationibus ſuis privatis, vacaret reipublicæ. Malle ait benefactis ſuis non haberi honorem, quam peccantem ſe non puniri. Veniam dare ait ſe omnium noxis, præterquam ſuis.

Cum tres legatos populus Romanus in Bithyniam deſtinaſſet, quorum unus pedibus æger erat, alter capite ex terebratione & inſectione cavato, tertius videbatur amens: irridens Cato, legationem ait mitti a populo Romano, quæ nec pedes, nec caput, nec cor haberet. De exſulibus Achajæ Polybii cauſa a Scipione interpellatus, ut magna diſceptatio fuit in curia, his redi-

tum iis in patriam concedentibus, illis denegantibus: exſurgens Cato, Quaſi non ſit, ait, quid agamus, deſidemus hic totum diem, de ſenibus Græculis quærentes, hic a noſtris, an in Achaja, a ſandapilariis efferantur. Decreto his Græcis reditu, paucis diebus interpoſitis, quærebat Polybius iterum ſenatum ſibi dari, ut priſtinos honores reciperent exſules, quos habuerant in Achaja, ac ſententiam Catonis pertentabat. Qui arridens, Polybium, ait, ſicut Ulyſſem, iterum velle Cyclopis ſpeluncam, quod pileum illic & cingulum per oblivionem reliquiſſet, ſubire. Sapientes, ferebat, majorem fructum ab inſipientibus, quam inſipientes capere a ſapientibus: hos enim perperam facta illorum devitare, illos horum non imitari recte facta. Juvenes dicebat magis placere ſibi, qui erubeſcerent, quam qui palleſcerent. Nolle militem ſe, qui inter eundum manus, in pugnando moveret pedes; qui ſterteret altius, quam in prælio fremeret. Præpinguem quendam obterens, Ubi tale corpus, inquit, utile ſit reipublicæ, in quo, quod inter gulam & inguina intereſt ſpatii, omne occupat venter? Cum voluptarius quidam contrahere cum eo cuperet conſuetudinem, abnuens negabat vivere ſe poſſe cum homine, qui palatum, quam cor, haberet acriore ſenſu præditum. Amantis dicebat animum in alieno vivere corpore. Trium ſe per totam vitam pœnituiſſe: Unum, quod mulieri arcanum credidiſſet; alterum, quod navigaſſet, quo ire poterat pedibus; tertium, quod unum diem per incuriam inanem effluere pateretur. Ad ſenem improbe agentem, Tu, inquit, bone vir, ſenectuti multis obnoxiæ probris noli turpitudinem adjungere vitii. Ad tribunum plebis, qui veneficii infa-

mia opertus perniciosam legem magna vi promulgabat, Haud scio, inquit, adolescens, utrum pejus sit, quod misces, potare, an sancire, quod promulgas. Proscissus convicio ab homine obscœnæ & improbæ vitæ, Iniqua, inquit, tecum mihi pugna est. Nam & male audis facile, & dicis promte: mihi tum dicere molestum est, tum audiendi sum insolens. Ac mos ejus in dicteriis ejuscemodi erat.

Consul cum Valerio Flacco, amico suo & familiari, factus, provinciam est sortitus, quam Hispaniam citeriorem Romani vocant. Ubi cum gentes partim armis in ditionem redigeret, partim benevolentia conciliaret, ingruerunt magna manu barbari, eratque, ne turpiter opprimeretur, periculum: quare a Celtiberis, qui propinqui erant, adscivit auxilia. Quibus auxilii ferendi ducenta talenta mercedem postulantibus, cum alii omnes fœdum dicerent esse, cum barbaris Romanos de opis ferendæ pacisci mercede, negavit quidquam incommodi esse Cato: quippe si vicissent, soluturos ab hostibus, non ab se; sin essent victi, non fore, nec a quibus exigeretur, nec qui exigerent. Ea pugna fudit fugavitque hostes: reliqua quoque magnificum successum habuere. Oppidorum cis Bætim fluvium Polybius auctor est uno die mœnia Catonis imperio diruta fuisse. Multa illa erant & viris bellicosis abundantia. Ipse plures urbes ait Cato se cepisse, quam egisset in Hispania dies. Neque est hæc jactantia, siquidem quadrigentas fuisse verum est. Militibus, præter compendium ex bello magnum, libram argenti in singulos divisit: addens, satius esse, multos Romanos cum argento, quam cum auro paucos, domum regredi. Ad se vero, præter esculenta & pocu-

lenta, negavit ex præda quidquam rediisse. Neque reprehendo, inquit, eos, qui hinc emolumentum captant; verum malo de virtute cum optimis, quam cum divitibus de pecunia, & cum avarissimis certare de quæstu. Neque se solum, sed & comites suos præstabat ab omni captura integros. Habebat eo in bello servos quinque: horum unus, nomine Paccus, tres pueros emit de manubiis. Quod ubi rescivit Cato, priusquam in conspectum ejus veniret, strangulavit se: pueros Cato sub hasta vendidit, pretiumque retulit ad quæstorem.

Dum adhuc agit in Hispania, Scipio Africanus superior, qui simultatem cum eo gerebat, cupiens tantas res gerenti obsistere, & res Hispanicas suscipere, perfecit, ut successor in illa provincia Catonis crearetur. Igitur maximis itineribus profectus accepit provinciam a Catone. Qui, acceptis peditum quinque cohortibus & quingentis equitibus, qui deducerent se, subegit gentem Lacetanorum: a quibus receptos perfugas sexcentos securi percussit. Ob quæ indignantem Scipionem irridens, Ita demum, ait, magnam Romam fore, si clari & summi viri virtutis primas non concederent obscurioribus: plebejique, qualis ipse esset, cum illis, qui nobilitate & claritate emineant, contenderent de virtute. Ceterum cum senatus censuisset, ne acta Catonis rescinderentur, vel moverentur, Scipionis provincia de ipsius magis, quam de Catonis decerpens gloria, nulla re perpetrata in otio nequidquam præteriit. Post triumphum Cato, non ut plerique, qui non virtutem spectant, sed gloriam, ubi ad culmen evaserint honorum, consulatum atque triumphos sint assecuti, jam deinceps, relicta republica, in voluptates demergunt se & otium, ita ipse

quoque virtutem remisit, vel laxavit; sed non secus, atque qui primum attingunt rempublicam, honoremque & gloriam sitiunt, quasi ab altero carcere incumbens, operam suam omni in re amicis civibusque obtulit, nec patrocinia, vel militiam detrectavit.

Ac Tiberium Sempronium proconsulem, in Thracia & ad Danubium res gerentem, legatus cum eo profectus, juvit; M'. Acilium tribunus militum comitatus est ducem in Græciam adversus Antiochum Magnum, supra omnes secundum Hannibalem populo Romano terribilem. Siquidem Asiam, quibus finibus tenuit eam Seleucus Nicanor, a principio omnem receperat. Inde multis nationibus & bellicosis barbarorum subactis, animos sustulerat, bellum ut populo Romano inferret, quasi soli jam pari sibi adversario; sumto belli specioso titulo, asserendæ in libertatem Græciæ, quæ id non requirebat (quippe liberati nuper beneficio populi Romani a Philippo & Macedonibus, suis legibus vivebant) trajecit cum exercitu. Ac Græcia confestim fluctibus jactata & erecta fuit, cum eam corrupissent spe regia concionatores. Igitur Man. Acilius legatos misit ad civitates, & pleraque consilia res novas molientium T. Flamininus (ut in vita ejus exposuimus) sine motu tenuit sedavitque: Cato Corinthios, Patrenses & Ægienses repressit. Plurimum temporis commoratus est Athenis. Dicitur autem oratio quædam ejus exstare, quam Græce ad populum habuerit, in admiratione veterum virtutem Atheniensium habere se, urbemque pulchritudinis & amplitudinis causa libenter visisse. Hoc tamen verum non est, sed per interpretem est populum Atheniensem allocutus: non quin facultatem haberet

Graece loquendi, sed quod retinere vellet morem patrium, & derideret illos, Graeca qui stuperent. Quocirca Postumium Albinum quidem, qui historias scripserat Graece, veniam petentem irrisit, dandam dicens, si illud opus Amphictyonum decreto subactus assumsisset. Demiratos Athenienses ajunt ejus celeritatem, & cursum dictionis: quae enim hic exprimebat strictim, longo tractu interpretem & multis verbis explicasse. Denique reliquisse eis opinionem, verba Graecis ex labiis, ex corde Romanis procedere.

Postquam autem saltum Thermopylarum obsepsit Antiochus copiis suis, locumque natura munitum vallo muroque firmavit, atque ibi consedit, bellum exclusisse ratus, a fronte perrumpere prorsus desperabant Romani. Cato vero, revocata in mentem circuitione illa & ambitu Persarum, nocte cum parte copiarum profectus est ex castris. Dum in verticem tendunt, captivus itineris dux deflexit de via, in locisque errans inviis & abruptis, perculit ingenti consternatione & metu milites. Hoc periculum Cato cernens, considere ceteris omnibus & opperiri jussis, comitem trahens Lucium quendam Manlium, hominem ad montes scandendos expeditum, nocte intempesta & obscura, magno labore & discrimine perrexit per oleastros & saxa vasta prospectum impedientia, & omnia incerta reddentia, quousque in callem inciderunt, qui deduceret, ut videbatur, ad hostium castra. Ibi signa in apicibus quibusdam posuerunt conspicuis, qui super Callidromon eminebant. Tum regressi sunt, agmenque ad signa illa agentes callem tenuerunt, eoque deduxerunt agmen. Ubi paululum processerunt, excipiens convallis quaedam praecidit callem.

Hic iterum incerti, quid agerent, trepidabant: nescii; neque advertentes, prope hostes se pervenisse. Jam lux appetebat, & unus visus sibi est strepitum exaudire, mox videre sub rupe castra & stationem Græcorum. Eo loco sustinuit Cato agmen, semotisque reliquis, Firmianos, quorum semper fideli & promta opera fuerat usus, arcessivit. Quibus concurrentibus, & frequentibus eum circumsistentibus, ait: Unum desidero ex hostibus vivum capere, ut quæram, quæ hæc statio sit, & quam multi, quæ omnium descriptio, vel ordo, vel apparatus, quo nos exspectant. Ad hoc celeri raptu & audacia mihi opus est, sicut inermes leones animosi timida petunt animalia. Vix ea dixerat Cato, cum Firmiani, sicut convenerant, confestim ruentes decurrerunt montibus ad stationes: in quas ex improviso irrumpentes, omnes turbaverunt dissipaveruntque, unum cum armis raptum Catoni obtulerunt. Ex eo didicit, reliquas copias cum rege saltum insidere; qui cacumina montium ibi servarent, delectos Ætolos sexcentos esse. Contemta Cato paucitate eorum simul & securitate, princeps gladium stringens, cum strepitu tubarum & clamore movit extemplo in eos. Qui ut ex rupibus invehentes contemplati sunt, fuga effusa castra majora petentes omnia compleverunt tumultu.

Interea consule ex inferiore loco munimenta oppugnante, atque angustiis superatis, universis premente copiis, Antiochus lapide in os ictus est, excussisque dentibus, retro equum ingenti oppressus dolore convertit. Nulla pars exercitus ejus sustinuit Romanos: verum, quamvis invia & abscissa omnia viam & fugam præcluderent, profundis paludibus præruptisque saxis

cadentes & lapsos excipientibus: in ea per fauces effusi, ac sese mutuo impellentes, dum vulnera & ferrum hostile timent, semetipsi affligebant. Cato cum semper minime parcus laudum suarum, ut mihi quidem videtur, buccinator, apertam jactantiam, ut egregiorum factorum comitem, non refugit, tum has res gestas summo cum fastu extulit: atque illos, qui tum consectantem & cædentem se viderunt hostes, confessos fuisse asserit, non tantum populo Romano debere Catonem, quantum Catoni populum: ipsum quoque consulem Acilium, adhuc a victoria calentem, in complexu calentem Catonem diu tenuisse, & præ gaudio exclamasse, neque ipsum, neque populum cunctum, esse Catonis meritis gratiæ referendæ parem. Illico a pugna missus est, ut nuntiaret ipse Romam prœlium. Brundisium secundo vento trajecit, inde una die Tarentum, quatuor aliis pergens Romam, quinto die venit, primusque victoriam nuntiavit. Ac civitatem quidem lætitia & festis complevit: populo vero tantum fecit animi, ut existimaret, universo terræ marisque imperio se posse potiri.

Hæ sunt ex rebus Catonis bello gestis fere clarissimæ. At actionum civilium videtur tunc accusationes, & improborum delationes partem non contemnendam existimasse. Nam tum multos ipse in judicium adduxit, tum persequentibus aliis subscripsit: ac plane semper submittebat accusatorem aliquem, ut Africano Petilium. At hunc nobilitate & animi celsitudine calumnias suas sub pedibus conculcantem, cum opprimere non posset, missum fecit: Lucium vero, fratrem ejus, coitione cum accusatoribus facta, litem ei magna pecunia æstimavit; quam cum solvere non posset, ac prope

eo esset deventum, in carcerem ut conjiceretur, ægre, appellatis tribunis, missus est. Dicitur Cato, cum in adolescentem, qui defuncti patris inimicum involverat infamia, in foro post judicium ambulantem incidisset, dextra data dixisse, ita parentibus esse parentandum, non agnis, non hædis, sed inimicorum lacrimis damnationibusque. Atqui nec ipse illæsus in republica evasit, sed sicubi ansam inimicis præberet, non desistebant eum in judicium rapere, & periculum creare. Fertur paulo minus quinquagesies causam dixisse, unam, eamque postremam, annos natus sex & octoginta. in qua etiam memorandum illud pronuntiasse, Grave esse, eum, qui cum aliis vixisset hominibus, apud alios crimina depellere. Neque hic finem fecit contentionum: quippe quadrienno post Servilium Galbam annos natus nonaginta accusavit. Siquidem prope ad tertiam ætatem, sicut Nestor, vita & actionibus pervenit. Namque cum Africano majore, ut est supra dictum, magnis contentionibus in republica habitis, pertinuit ad Africanum minorem, qui fuit illius adoptione nepos, filius Paulli, qui Perseum & Macedonas debellavit.

Decem annis post consulatum petivit Cato censuram. Fastigium quoddam est hic magistratus honorum omnium, & quodammodo omnium in republica actionum consummatio: præfulgetque cum ingenti alia auctoritate, tum morum & vitæ judicio. Neque enim vel matrimonium, vel sobolis procreationem, vel quotidianum victum, vel convivium solutum & liberum indagine, quæ cujusque libido & institutum sit, arbitrabantur prætermittendum. Quod autem longe ex his acutius, quam ex publicis & civilibus actionibus, mores homi-

num perſpici putarent, cuſtodem & moderatorem, correctoremque, ne quis ad voluptates deflecteret, aut excederet patria & vetera inſtituta, deſignabant unum ex nobilitate, alterum ex plebe. Cenſores hos appellabant. Poteſtas erat iis equum adimendi, ſenatu movendi eum, qui vitam agebat turpem & libidinoſam. Hi etiam pretia ſacrificiorum ſtatuentes inſpectabant, atque ex eo ordines & munera diſtinguebant: aliarumque rerum habet is magiſtratus arbitrium. Quare Catonis petitionem fere nobiliſſimi quique & principes ſenatus premebant. Æſtuabant enim invidia patricii, quod probro affici putarent nobilitatem, hominibus novis ad ſummum honorem & poteſtatem aſpirantibus: improbi vero, ſuarum libidinum ſibi ipſi conſcii & morum patriorum violatorum, auſteritatem ejus inexorabilem in ſumma poteſtate & triſtem verebantur futuram. Itaque coitione facta, ſeptem ab ſe ſubornatos Catoni competitores in campum deduxere. Hi prenſantes plebem, bonam ſpem tanquam placidam quærenti & remiſſam oſtendebant cenſuram. Contra Cato nihilo lenius agebat, immo aperte pro roſtris minitans malis, vociferanſque, magna luſtratione civitati opus eſſe, conſulere multitudini, ne leniſſimum, ſi ſapiant, ſed acerrimum deligant medicum. Eum ſe eſſe, & ex patriciis unum Valerium Flaccum: illo enim ſe ſolo collega ſperare, luxu & mollitia, velut hydra exſecta atque aduſta, operæ pretium facturum: reliquos videre quoſque molientes male cenſuram gerere, quod eos, qui geſturi eam ſint recte, expaveſcant. Atqui tam celſus erat, & celſis dignus ducibus populus Romanus, ut non horreret terrores ejus & ſupercilium, ſed mites illos & magnam lenitatem oſtentantes repudiaret, de-

ſignaret autem cum Catone Flaccum, quaſi non candidatum illum cenſuræ, ſed cenſorem jam & præcipientem audiens.

Allegit igitur in ſenatum collegam & amicum Lucium Valerium Flaccum. Senatu movit inter alios complures Lucium Quintium, qui ſeptem annis ante conſul fuerat: & quod majoris momenti ei erat ad gloriam, Titi Quintii, qui Philippum debellaverat, fratrem. Cauſam, cur ſenatorio loco eum moverit, hanc habuit. Puerum Lucius formoſum ſcortum perpetuo habebat in contubernio ſuo, atque in expeditionibus ſuis tantum tribuebat ei honoris, quantum nemo ſummorum amicorum, vel familiarium, qui circa eum erant. Cum jam provinciam obtineret proconſul, in convivio quodam puer juxta eum, ut ſolebat, accubans, inter ceteras blanditias, quibus per vinum facile ducebat eum, tantopere jactavit ſe amare eum, ut ſpectaculum domi, inquit, gladiatorum, quod nunquam ſpectavi ante, prætermiſerim, ac currens perrexerim ad te, quamvis videre hominem avebam interfici. Lucius viciſſim gratiam illi rependens, Nihil, inquit, te torqueat hoc, ego facile medebor. Inde unum ex damnatis rei capitalis attrahi in convivium, & lictorem cum ſecuri præcepit arceſſi. Tum iterum ex ſcorto quæſivit, an videre iſtum vellet feriri ſecuri: cum annuiſſet, imperavit præcidi homini caput: itaque plerique homines tradunt. Cicero quoque in dialogo de ſenectute ſic narrantem inducit Catonem. Livius autem Gallum transfugam dicit illum fuiſſe, qui fuit interfectus: ac Lucium non per lictorem, ſed ſua ipſius manu, hominem occidiſſe, eaque eſſe in Catonis oratione ſcripta. Ejectum ſenatu a

Catone Lucium Titus frater iniquo animo ferens provocavit ad populum, postulavitque, ut causam proferret Cato notæ: quo eam referente, & exponente convivium illud, parabat infitias ire Lucius; verum cum Cato sponsione eum provocaret, detrectavit. Itaque merito judicavit populus notatum. Postea cum ludi fierent in theatro, præterito consularium cuneo, remote inde consedit. Ac motus hinc misericordia populus, coegit eum magno clamore transire: atque ita maculam ejus, quatenus fieri poterat, correxit lenivitque. Alium senatu movit Manilium, quem omnium opinio consulem designabat: quod uxorem interdiu fuisset inspectante osculatus filia. Uxorem suam ait, nisi magno tonitru, nunquam complexum sibi tulisse, atque per jocum dicere solitum se, Jove tonante se beatum esse.

Jam quod Lucio, Africani fratri, equum ademerit, triumphali viro, conflavit sibi Cato invidiam: quod ea re videretur Scipioni Africano insultare. Plurimos autem potissimum offendit præciso luxu: quem aperte extorquere laboranti & infectæ multitudini non poterat. At per ambages id agens, præcepit, ut vestes, vehicula, ornamenta muliebria, utensilia, quorum singula pluris, quam quindecim millium æris essent, decuplo amplius æstimarentur, quam earum rerum pretium fineret: voluitque, ut a majori censu majus tributum penderent, ternosque in millia æris asses assignavit, ut inferrent; quo iis adjectionibus pressi, cum viderent, adstrictos & frugales a paribus facultatibus minus tributi ferre, luxum deponerent. Igitur infensos habuit, qui id tributi tolerabant ob luxuriam: infensos alia ex parte, qui luxuriam ob tributum deponebant. Pro divitiarum

enim ereptione habet vulgus, si earum ostentatione prohibeantur: ostentari autem superfluis, non necessariis. Quod quidem philosophum Aristonem ajunt præcipue mirari, quod eos, supervacua qui possident, potius ducant beatos, quam illos, qui abundant necessariis & utilibus. Scopas Thessalus, cum ab eo peteret amicus quispiam rem eam, quæ non admodum illi esset usui, diceretque, nihil se necessarium, vel utile, petere, Atqui his ego, inquit, beatus & dives sum inutilibus & supervacaneis. Ita divitiarum admiratio, nulli affectui consentanea naturali, ex vulgari & translatitia opinione introducitur.

Verum enimvero offensiones flocci faciens Cato, multo erat asperior. Aquam publicam canalibus in privata ædificia, aut hortos ductam ademit. Evertit & demolitus est ea, quæ in publicum projecta ædificia erant, mercedem redemturarum contraxit, vectigalia summis pretiis locavit. Unde odium arcessivit sibi grande. At Titi Quintii factio, coitione contra eum facta in senatu, sacrorum & publicorum ædificiorum ut non e republica factas locationes induxit, concitavitque tribunorum ferocissimos, ut Catonem ad populum accusarent, multamque ei centum viginti millium æris dicerent. Multum etiam obstrepuit ei, cum basilicam faceret, quam pecunia publica sub curia foro adjunxit; & basilicam Porciam appellavit. At apparet, censuram ejus populum mirifice comprobasse. Siquidem cum poneret ei statuam in æde Salutis, non imperia inscripsit, nec triumphum Catonis, sed quod rempublicam Romanam, ad pravos mores declinantem ac vergentem, bona disciplina sanisque institutis & præceptis censor correxisset. Quamquam & ipse

ante deriserat eos, quos ea res delectabat, dicebatque, non intelligere eos, quod ob statuariorum & pictorum opera sibi placerent, cum imagines pulcherrimas suas in animis suis circumferrent cives. Ad eos, qui mirabantur, cum statuas multi homines obscuri haberent, eum non habere, Malo, inquit, quæri, quare nulla mea statua exstet, quam quare exstet. Atque omnino volebat, ut ne laudari quidem permitteret se bonus civis, nisi hoc e republica fieret. Plurimus fuit tamen in se ipso prædicando. Quippe eos, qui in vita quid titubaverant, mox reprehendebantur, dicere ait solitos, immerito se culpari, qui Catones non essent: illos autem, qui facta quædam sua imitari studerent inepte, sinistros Catones appellari. Senatum periculosissimis temporibus ad se, sicut in naufragio ad gubernatorem, respicere, crebroque absente se res gravissimas protrahere. Quæ quidem ei aliorum testimonio comprobantur: etenim ingens fuit ejus in civitate vitæ & eloquentiæ & ætatis gratia auctoritas.

Fuit item bonus pater, suavis maritus, nec vulgaris in re augenda familiari. Neque id negotium tractabat, ut minutum & vile, obiter tantum & defunctorie: itaque etiam, quæcunque ex iis huic loco conveniunt, recensenda putavi. Uxorem nobiliorem, quam opulentiorem, duxit: existimans, æque utrasque esse elatas & superciliosas; verum turpitudinis rubore obsequentiores viris ad honesta fore generosas. Eum, qui liberos, vel conjugem, cæderet, sanctissimis rebus dicebat afferre manus. Majorem laudem esse boni mariti, quam magni senatoris. Neque vero Socratem veterem esse sibi ob quidquam aliud admirationi, quam quod cum muliere mo-

rosa stupidisque liberis perpetuo vixisset placide & comiter. Cum uxor peperisset, nullo tam urgenti, nisi publico, negotio impediebatur, quin ei infantem abluenti & fasciis involventi assisteret. Illa enim proprio lacte nutricabatur infantem: frequenter etiam servorum pueros admovebat mammæ, quo benevolos eos ex educationis consortio erga filium redderet. Ubi primum per ætatem intelligere cœpit, instituit eum ipse in literis; licet scitum servum literatorem haberet, Chilonem nomine, qui multos pueros erudiebat. Nolebat autem filium, ut ipse ait, a servo male audire, vel aure vellicari, si tardius disceret; nec vero esse tantulæ disciplinæ causa obstrictum servo: verum erat ipse ejus ludimagister, ipse legum doctor, ipse lanista. Neque jaculari modo & armis depugnare atque equitare docuit filium, sed pugilatum etiam, æstum & algorem tolerare, vortices & fluctus fluminis nando superare. Historias sua manu se grandibus literis dicit conscripsisse, ut filius disciplinam majorum & veterum instituta domo petere valeret. Turpiter loqui non minus filio præsente, quam virginibus Vestalibus, cavisse. Nunquam cum eo in balneis fuisse: quem morem videntur Romani habuisse communem. Etenim soceri una lavare defugiebant cum generis, denudare se & retegere erubescentes: post tamen, cum a Græcis adaperire se didicissent, traduxerunt vicissim in Græciam, ut id illi & cum feminis facerent. Tam præclarum fingenti opus ad virtutem Catoni, & conformanti filium, cum responderet studium illius, etiam ob indolem obtemperaret mens, sed esset corpus ad tolerandos labores mollius, remisit rationem victus intentiorem & austeriorem. Ille tamen cum tali

corpore insignis bello vir fuit, prœlioque adversus regem Perseum decertavit sub duce Paullo Æmilio præclare. Cum vero gladius ei ictu excussus & madore esset manu elapsus, adiit cum dolore certos familiares suos: quibus adjunctis, fecit de integro impressionem in hostes. Ac cum longo certamine magnaque vi locum vacuum fecisset, tandem invenit eum in immensis acervis armorum, & in cadaverum, tam sociorum, quam hostium, cumulis aggeratorum: quamobrem commendavit adolescentem Paullus imperator. Et ipsius Catonis exstat ad filium epistola, qua supra modum extollit contentionem ejus de gladio & curam. Post Paulli filiam, Tertiam, Scipionis sororem, duxit uxorem: nec minus jam sua, quam parentis, gratia adeo nobiles nuptias sibi adjunxit. Ita Catonis quidem erga filium sedulitas bonum effectum sortita est.

Servos multos comparabat de manubiis. Pueros potissimum emebat, & eos, qui adhuc, sicut catuli & pulli, educari cum disciplina & institui valerent. Horum in alios penates ingrediebatur nemo, nisi ipse mitteret eos Cato, vel uxor. Rogatus, quid ageret Cato, nihil, nisi nescire se, respondebat. Servum aut facere aliquid domi necessarium compellebat, aut dormire. Multum gaudebat Cato cubantibus, mansuetiores ducens vigilantibus, & ad quodvis ministerium aptiores somno refectos. Existimans autem, servos in gravissima facinora illabi veneris causa, certum nummum in ancillarum concubitum præfinivit, alii feminæ ne se jungeret quisquam. Ac primum tenuis adhuc, & dum stipendia faceret, nulla in re, quæ ad victum pertinebat, morosus

erat, sed fœdissimum asserebat, cum servis ventris causa rixari. Post rebus lautioribus, si quando epulas amicis & collegis præberet, illico sub cœnam loro castigabat eos, qui quid ministrassent, aut parassent negligentius. Dissidium perpetuo inter servos & distractionem struebat; concordiam eorum suspectam habens & timens. Qui capitalem fraudem admisisse videbantur, de iis, si in judicio servorum capitis damnati fuissent, supplicium sumebat. Intentior ad quæstum, agriculturam in oblectamento potius numerabat, quam in fructu. Emolumenta autem in rebus securis & certis collocans, lacus paravit, aquas calidas, loca fullonibus idonea, prædia, quæ pascua haberent, & silvas nativas. Unde magnum compendium faciebat, quibus nec Juppiter posset, ut ipse ait, nocere. Fœnore usus ex maxime improbato nautico, ad hunc modum: Volebat, ut illi, quibus fœnerabatur pecuniam, multos asciscerent socios. Cum quinquaginta essent & totidem navigia, unam partem habebat Quintione institore liberto: qui una cum illis, qui mutuo acceperant pecuniam, negotiabatur & navigabat. Itaque non de toto periculum subibat, sed de exigua portione grandi lucro. Dabat mutuo etiam servis. Hi pueros mercabantur: quos cum exercuissent & docuissent Catonis impensa, anno post distrahebant. Multos etiam retinebat Cato, quanto maximo pretio licitatus alius fuerat, acceptum referens. Huc filium adhortans, negat, viri, sed mulieris esse viduæ, aliquid de suis fortunis diminuere. Illud vero fervidius est Catonis, quod insignem virum & divinum ad gloriam ausus est appellare eum, qui in rationibus plus relinquat, quod adjecerit, quam quod acceperit.

Eo jam sene, legati Atheniensium Romam adventarunt, Carneades Academicus, & Diogenes, Stoicus philosophus, petitum, ut judicio sublevaretur populus Atheniensis, quo indicta causa condemnato, postulantibus Oropiis & Sicyoniis judicibus, lis æstimata quingentis talentis fuerat. Hos illico studiosissimi quique adolescentes adibant, frequentesque audiebant & celebrabant. Carneadis lepos præcipue, cujus magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cum insignes & benignos auditores attraxisset, instar venti urbem sonitu complevit; vulgatumque fuit, virum Græcum, ad miraculum usque eximium, omnia delinientem & allicientem, mirum infudisse juventuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum & oblectamentorum obliti, quasi furore quodam accensi raperentur ad philosophiam. Cum ea res ceteris placeret Romanis, atque adolescentiam libenter viderent literis Græcis imbui & excellentibus viris uti, Cato a primo, ubi influxit in urbem Græcarum disciplinarum admiratio, stomachabatur: veritus, ne juventus eo converteret studium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis & disciplinæ militari anteferret. Ut vero in urbe nomen increvit horum philosophorum, ac primas orationes eorum clarus vir, C. Aquilius, cum, id officii ut præstaret, enixe postulasset ipse, in senatu est interpretatus; censuit, omnes philosophos ab urbe honesta specie ablegandos: atque cum venisset in senatum, incusavit magistratus, quod legati, qui persuadere facile quidvis valerent, diu illic sine responso sederent. Quare primo quoque tempore aliquid esse censuit de legatione statuendum & decernendum, quod hi ad ludos literarios regressi, apud Græcorum filios differe-

rent, Romana autem pubes conferret se, ut ante, ad obtemperandum legibus & magistratibus.

Hoc ille, non quo offensus esset Carneadi, (ut nonnulli arbitrantur) egit, sed quod philosophiam in totum, humanitatemque omnem Græcam & literaturam ex ambitione haberet ludibrio. Quippe qui Socratem quoque loquacem dicat & seditiosum fuisse, atque enisum quovis modo tyrannidem occupare, institutis eversis majorum, rapiendo cives & impellendo ad contrarias legibus opiniones. Isocratis scholam deridens, senescere apud eum ait auditores, tanquam apud inferos artibus usuros & causas dicturos. Filium a literis Græcis revocans, voce usus est, quam pro tanta ætate, ferociore, velut vaticinans & præsagiens, infectos disciplinis Græcis amissuros imperium Romanos. Ceterum hoc illius vanum apparuit malum omen ipso tempore, quo ad rerum culmen urbs evasit, cum omni se Græciæ eruditioni & institutioni dedisset. Nec philosophis Græcis modo erat infestus, sed illos quoque, qui medicinam Romæ exercebant, habebat suspectos: atque audito scilicet Hippocratis responso, cum rex eum mercede ostensa multorum talentorum acciret, nunquam daturum se operam hostibus Græcorum barbaris, commune hoc dicebat medicorum jusjurandum omnium, monebatque filium, ut declinaret omnes. Sibi scriptum commentarium esse, cujus præceptis se familiam ægrotantem curare, & victus rationem præscribere: neminem unquam cibo abstinere, alere oleribus & carne anatis, vel palumbi, vel leporis: levem enim hanc esse & ægris convenientem, nisi quod illis, qui ea manducaverunt, multa creet insomnia: hac se medicina & victu valetudinem suam tueri, suosque conservare firmos.

Ceterum in eo quidem haud videtur iram Deorum devitasse: nam uxorem & filium amisit. Ipse corporis salubri constitutione ac robusta firmiter compactus in longum duravit. Itaque feminis grandævus percrebro jungebatur, duxitque juvenem uxorem præter ætatem suam, ex causa hujuscemodi: Defuncta uxore, filio despondit Paulli filiam, sororem Scipionis, ac cælebs cum puella, quæ commeabat ad eum occulte, consuetudinem habebat. Verum ea res angustis in penatibus, ubi nurus erat, non manebat tecta. Ac cum mulierculam illam contemtim & audacius præter thalamum filii in cubiculum Catonis appareret irrumpere, adolescens verbum quidem nullum fecit, sed rubore perfusus, torve eam aspexit: quæ res non fuit clam sene. Ut ergo eos animadvertit offendi, nihil incusans, aut questus, sed progrediens pro more suo cum amicis ad forum, Salonium quendam, qui scriba ejus fuerat, præsentem & ipsum prosequentem alta voce appellat, rogatque, ecquid filiam elocasset. Quo negante, id se, nisi illo consulto, facturum: Atqui ego, inquit, commodum generum tibi inveni: nisi hercle displiceat ætas. Nam cetera non est contemnendus, verum gravis annis. Quem cum eam curam ut susciperet, rogaret Salonius, & quem delegisset, ei daret filiam suam nuptui, quæ ipsius cliens esset, ejusque indigeret sollicitudine: nulla Cato interposita mora sibi ipsi aperit puellam petere. Hic primum haud immerito attonitus fuit eo sermone homo, remotum a nuptiis Catonem, remotum autem a domo se consulari & triumphali existimans affinitate: verum ubi serio agentem vidit, accepit conditionem libens. Ita descenderunt in forum, atque sponsalia extemplo fecere. Dum

hæ nuptiæ in manibus sunt, Catonis filius, adhibitis necessariis, requisivit de patre, quo suo peccato, vel offenso, novercam sibi superduceret. cui Cato exclamans, Bona verba, inquit, fili. Omnia facta tua grata mihi sunt, neque, quod querar, quidquam habeo : sed plures cupio mihi filios & cives patriæ relinquere tui similes. Hanc sententiam ferunt prius Pisistratum usurpasse, Atheniensium tyrannum, cum, adultis filiis, secundam uxorem duxisset Argolicam Timonassam : ex qua Jophontem & Thessalum fama est genitos fuisse. Ex iis nuptiis natus Catoni est filius, cui a matre agnomen Salonium reddidit. Major filius in prætura decessit : cujus crebram Cato in libris suis, ut egregii viri, facit mentionem. Moderate autem & sapienter dicitur eam calamitatem tulisse, nec ideo redditum in republica segniorem. Neque enim, ut Lucullus postmodum, & Metellus Pius, elanguit senio ad rempublicam gerendam, munus adhuc suum ducens reipublicæ administrationem ; neque, ut ante Scipio Africanus, ob incurrentem in gloriam suam invidiam aversus a populo immutavit se, atque vitæ reliquæ finem in otio posuit : sed sicut Dionysio quidam suasit, ut pro pulcherrimis exsequiis tyrannidem haberet, pulcherrimam senectutis traductionem publica negotia ducens, remissionibus & oblectationibus per otium utebatur, libros componendo & rus colendo.

Ac varia quidem scripta historiasque commentatus est. Agriculturæ operam dedit, in juventute etiam, propter emolumentum. Nam duobus generibus dumtaxat quæstus ait se usum, agricultura & parsimonia. Tunc opera rustica præbebant ei oblectationem & contemplationem. Scripsit quoque de re rustica librum, in quo etiam

de placentis apparandis, & de condendis pomis scripsit: omni in re ut excelleret & singularis esset, elaborans. Cœna quoque erat ruri liberalior: invitabat enim assidue villis suis vicinos & finitimos, quibuscum ei familiaritas intercederet. Cum his vivebat hilariter, eratque jucunda consuetudo ejus & accepta, non æqualibus modo, sed juvenibus etiam. Nempe multarum rerum peritus erat, multisque rebus & sermonibus memoratu dignis interfuerat. Mensam inprimis putabat esse amicitiæ conciliandæ aptam, ac frequens illic laudatio egregiorum virorum introducebatur, frequens etiam malorum & improborum oblivio: nec vituperationi eorum, vel commendationi, permittebat in convivium suum Cato accessum.

Ex publicis actionibus ejus arbitrantur novissimam Carthaginis excidium fuisse, cui finem facto imposuit Africanus minor; consilio & sententia præcipue Cato. Bellum fuit ex hujuscemodi conflatum causa. Cato Carthaginem & ad Massanissam, Numidiæ regem, qui bellum inter se gerebant, ad inspiciendas dissidii caussas fuit missus. Fuerat hic a primo amicus populi Romani: illi, a Scipione bello victi, pacem a populo Romano acceperant, imperiique ademtione & gravi vectigali fuerant refrenati. Qui cum eam civitatem, non, pro populi Romani opinione, offendisset afflictam, vel infractam, verum magna juventutis sobole florentem, magna affluentem opulentia, omni genere armorum & apparatu bellico refertam, quæ res Pœnis non mediocres spiritus darent; tempus existimabat esse, non ut res Numidiæ & Massanissæ componerent & disceptarent Romani, sed, nisi civitatem oppressissent, antiqui-

tus inimicam & exacerbatam, quæ supra, quam credi posset, invaluerat, paria pericula ipsos iterum incursuros. Igitur propere reversus docuit senatum, non tantum superiores clades & vulnera Carthaginiensibus virium, quantum imprudentiæ, detraxisse: ac prope esse, ut non infirmiores eos, sed expertiores ad bellum faciendum, reddiderint. Nunc vero etiam prœludia belli Romani agitare bellum Numidicum: pacem & fœdus prætexere belli moræ, dum opportunitatem exspectant.

Ad hæc fertur Cato ficos Africanas, togam excutiendo, in curia consulto effudisse: quorum cum admirarentur magnitudinem & speciem, dixisse eum, quæ has ferat tellus, tridui navigatione a Roma distare. Illud vero jam violentius, quod, quacunque de re diceret sententiam, semper hoc addiderit: Hoc censeo, & Carthaginem delendam. Contra P. Scipio, Nasica dictus, perpetuo pro sententia dicebat: Censeo, Carthaginem relinquendam. Multa enim, meo judicio, cum populum procacitate videret admittentem, & ob secundum rerum cursum atque ferociam senatui minus dicto audientem, totamque rempublicam ob nimiam potentiam, quo nutu vergeret, secum vi trahentem, volebat hunc certe timorem pro freno moderatorem contumaciæ injectum multitudinis: minus censens pollere Carthaginienses, quam ut superare possent Romanos, & plus, quam ut contemnerentur. Id ipsum vero Catoni anceps visum, lascivienti populo, & crebro ex licentia offendenti, urbem antiquitus quidem magnam, tum vero etiam, quod fracta esset ærumnis, sobriam imminere: quin potius metus externos imperii esse semel exscindendos, ut ita opportunius intestinis malis medendis vacarent. Ita suf-

citasse Cato dicitur tertium & supremum bellum Punicum. Affecto bello, excessit vita, vaticinatus de viro, qui finem impositurus bello esset. Hic tum quidem juvenis erat, sed tribunus militum specimen in conflictibus prudentiæ & animi præbebat. Id Romam nuntiatum cum pervenisset ad aures Catonis, dixisse eum perhibent: Huic modo cor soli est, reliqui velut umbra feruntur. *Hanc prædictionem brevi Scipio re confirmavit. Progeniem Cato reliquit unum filium ex secunda uxore, cui cognomen factum Salonio diximus: unum etiam ex defuncto filio nepotem. Salonius in prætura decessit: cujus filius Marcus consul fuit, avus Catonis philosophi, viri virtute & laude sua ætate clarissimi.*

NOTITIA LITERARIA
DE
M. PORCIO CATONE
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. I, Lib. I, cap. II.

M. Catonis majoris aetas.

M. *Porcius Cato*, antea *Priscus* appellatus, etiam *Major* vulgo audit ob pronepotem Catonem minorem Uticensem. Ortus municipio Tusculo, non minus [1] egregii Imperatoris Consulisque ac

1. Livius XXXIX, 4. Plin. VII, 27, & XXIX, 1 Hist. Cicero Bruto cap. 15 &c. Nepos & Plutarchus Catone Majore pag. 336 seq. E recentioribus Joan. Glandorpius in Onomastico Romano pag. 714 seq. ubi de gente Porcia e Gellii XIII, 19, & aliis scriptoribus: Andr. Schottus ad Victorem de viris illustribus c. 47. Caspar. Sagittarius de vita & scriptis Catonis, Ennii, Pacuvii &c. Altenburg. 1672, 8 (quo in libro pag. 75 tabellam genealogicam Catonum exhibet:) Martinus Hanckius (in Sagittarii libro p. 106 per typographi errorem Hanserus) Vir Cl. libro utroque de Romanarum rerum scriptoribus, ac Petrus Baelius dictionario Historico-Critico edit. secundae in *Porcius*. Dissertatio scriptoris Galli (Mr. Roue) de duobus Catonibus, Censore & Uticensi, de quo Hist. des ouvrages des Savans A. 1708, pag.

Censoris, (unde *Censorius* quoque passim dicitur) quam ICti, Oratoris, [2] conditoris Historiarum ac Philosophi nomen promeruit. Cum bello Punico secundo ab anno usque septimo decimo ætatis non infeliciter pugnasset, deque Hispania triumphum, & multa in Rep. præclare egisset, haud dubitavit magno jam natu [3] Græcas literas in Sardinia ab Ennio addiscere, nec pauca latine scripsit, obiitque tertio bello Punico, quod ipse suaserat, ineunte, anno U. C. 604. L. Censorino & Manilio Coss. ante Christum natum 149, ætatis 85, si Ciceronis quidem [4] & Plinii calculum sequimur: nam Livius XXXIX, 40 eum testatur anno 86 adhuc causas egisse, & anno 90 Servium Galbam ad populi judicium adduxisse; quod narrat etiam Plutarchus in vita p. 344 seq. Confer, si juvat, Valerium Max. VIII, 7, 1.

Liber de agricultura.

Jam tum Ciceronis [5] ætate nullum fere exstabat scriptum latinum, quod esset dignum lectione, scriptis Catonis antiquius. Cum vero plu-

102. Imaginem Catonis Censorii post Bellorium & alios exhibet Jacobi Gronovii Viri Cl. Thesaurus Antiquitatum Græc. Tomo III. Diversus a Catonibus, quos Glandorpius & Sagittarius recensent, fuit Cato Sinopensis, cujus de Hieronymi Syracusani Tyrannide librum allegat Athenæus libro VI.

2. M. Catonem hunc, propter eloquentiam, cognomento *Demosthenem* appellatum esse testatur Diodorus Sic. pag. 382 excerpt. Peiresc.

3. Aurelius Victor c. 47. Cicero Catone Majore c. 1 & 2, & in Lucullo c. 2. Quinctilian. XII, 11.

4. Cicero Bruto c. 20. Plinius XXIX, 1.

5. Cicero Bruto c. 18.

rima, ut dixi, ſcripſerit, unus hodie illius ſupereſt *de agricultura*, ſive *de rebus ruſticis* ad filium *liber*, cujus meminit præter Varronem ac Columellam, Gelliumque, Plutarchus p. 351, συνέτακταί γε βιβλίον γεωργικὸν, ἐν ᾧ καὶ περὶ πλακούντων σκευασίας (cap. 76) καὶ τηρήσεως ὀπώρας (cap. 25 & 101) γέγραφεν, ἐν παντὶ φιλοτιμούμενος περιττὸς εἶναι καὶ ἴδιος. Plinius XIV, 4: *Catonum ille primus triumpho & cenſura ſupra cetera inſignis, magis tamen etiamnum claritate literarum, præceptiſque omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima vero agrum colendi, illius ævi confeſſione optimus ac ſine æmulo agricola.* Servius ad 2 Georgic. *Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura*, &c. Ab *Catone ornata literarum latinarum monumenta* ſcribit Valerius Maximus III, 4, 6; & apud Ciceronem de ſenectute c. 15 Cato ipſe loquens, *dixi*, inquit, *in eo libro, quem de rebus ruſticis ſcripſi, de qua* (utilitate ſtercorandi) *doctus Heſiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri ſcriberet.* Plinius XVI, 39: *Cato hominum ſummus in omni uſu, de materiis hæc adjicit.* Producit deinde verba ex libro de re ruſtica cap. 31. Inſcriptiones capitum non eſſe ab ipſo auctore, recte videtur annotaſſe Joannes Meurſius, licet exſtent in editione antiqua, quæ prodiit Regii a. 1482, fol. tum in altera ibid. a. 1499, fol. At in aliis quibusdam deſunt, ut in Baſileenſi anno 1521, quam optimæ notæ eſſe, idem Meurſius judicat, & in Colonienſi apud Jo. Gymnicum 1536, 8, & in Lugdunenſi apud Seb. Gryphium 1536, 8. Vid. & Pontederæ not. ad c. 1.

Oratio pro Lege Oppia apud Livium.

Oratio Catonis *pro lege Oppia* adverſus L. Valerium Tribunum, cum Valerii reſponſione legitur apud Livium XXXIV, 2 ſq. ingenio Livii apte ad rem & perſonam Catonis expreſſa.

Suppoſititia Catonis ab Annio edita. Diſticha moralia alterius ſcriptoris. Valerii Catonis diræ.

Cetera, quæ, tanquam ex Originibus Catonis petita *de Antiquis Italiæ populis* fragmenta, una cum aliis ſcriptis nullius fidei vulgavit commentariiſque illuſtravit *Joannes Annius* Viterbienſis, Romæ anno 1498, fol. frequenter & variis locis ab eo tempore recuſa, tanquam ſpuria, quamquam laciniis quibusdam, quas e Catone Plinius & alii proferunt, adtextis, præſenti loco omitto. Ita *diſticha moralia*, quæ ſub *Dionyſii Catonis* nomine circumferuntur, nemo ignorat ad Catonem, de quo loquimur in præſenti, neutiquam pertinere; non certe magis, quam *Valerii Catonis diras*, de quibus ſingulis dicetur loco ſuo.

Catonis majoris dictio.

Ut ad Catonem Cenſorium noſter redeat ſermo, orationis ejus formam ita deſcribit Cicero in Bruto c. 17: *Antiquior eſt hujus ſermo, & quædam horridiora verba: ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros, & aptior ſit oratio, ipſa verba compone & quaſi coagmenta,*

quod ne Græci quidem veteres factitaverunt: jam neminem antepones Catoni. Plutarchus in Catonis vita pag. 339: εὔχαρις ἅμα καὶ δεινὸς, ἡδὺς καὶ καταπληκτικὸς, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρὸς, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικὸς, *lepidus ſimul & gravis, jucundus & fulminans, facetus & auſterus, ſententioſus & acris.* Hoc exemplis deinceps quibusdam confirmat, & nonnulla ipſius acute dicta refert Plutarchus.

Scripta deperdita.

Scripta Catonis *deperdita* hæc apud Veteres commemorantur:

Originum ſive Hiſtoriarum [6] Annaliumve Pop. Romani *libri VII*, quibus eum ultimam manum paucis ante mortem diebus vel menſibus impoſuiſſe, e Cicerone conſtat. Certe ſenex demum illos ſcribere inſtituit, teſte Nepote cap. 3, ubi ſingulorum librorum argumenta. Apud Livium quidem XXXIV, 5, L. Valerius tribunus Catoni vix duodequadraginta annos nato Origines ipſius objicit. Sed videtur Livius eo in loco, ut ſæpius alibi, tribuere ex ingenio ſuo orationem L. Valerio, quam ille aliter aliamque dixerat; ut multis jam eruditis

6. *Hiſtorias* vocat præter Nepotem Chariſius lib. 2. Sed *Annales* Epitoma Livii lib. XLIX. *Origines* non ſatis plenus titulus viſus Feſto in *Orig.* Adi Voſſium lib. I, de Hiſtoricis latinis cap. V. Fragmenta e Catonis Originum libris collegere Antonius Riccobonus ad calcem libri de Hiſtoria, & Auſonius Popma in fragmentis Catonis, de quibus ante dixi, & in fragmentis Hiſtoricorum, de quibus infra in Salluſtio.

obſervatum, Voſſio, Bælio, atque Henrico Noriſio Cenotaph. Piſan. diſſ. 1, c. 1, p. 4. Laudes ſuas in hoc opere minime præteriiſſe Catonem, docet Plutarchus in vita p. 344. Ipſe Cato manu ſua deſcriptum majoribus literis legendum filio ſuo propoſuit, ut domeſtica exempla virtutis ediſceret. Id. p. 348. Laudat hoc opus Cicero Bruto cap. XVII. Illuſtraverat olim *Statilius Maximus*, ut e Chariſio colligitur. Fragmenta harum Originum e Grammaticis & aliis collecta reperiuntur inter Fragmenta Hiſtoricorum veterum, ſeparatim & ad calcem Salluſtii Cortiani &c. edita.

De re militari liber, laudatus poſt alios Joan. Sarisberienſi VI, 19 Policratici. Vide de hoc Catonis ſcripto Stewechium ad Vegetii lib. 1, cap. 8, qui tamen fallitur, cum plures libros hujus argumenti a Catone ſcriptos putat, & Orationes confundit cum libris; etſi & hi & illæ Græcis ſunt λόγοι, & Gellius quoque Orationem Catonis de falſis pugnis librum appellat X, 3, & librum contra Tiberium Sempronium Longum exſulem II, 14.

Libri quæſtionum Epiſtolicarum, Gellius VII, 10.

Epiſtolæ. Plinius, Feſtus, Priſcianus &c.

De Oratore, ad filium. Diomedes lib. I. pag. 358. Quinctilianus III, 1: *Romanorum primus, quantum ego quidem ſciam, condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Cenſorius.*

Orationes variæ (centum & quinquaginta legiſſe ſe teſtatur Cicero in Bruto cap. XVII.) quas ab adoleſcentia, ut eſt apud Nepotem, confecit, laudatae Ciceroni, Varroni, Livio, Plutarcho in Vi-

ta Flaminii p. 379, Gellio, Feſto, Chariſio, Nonio, Priſciano & aliis. Quaſdam ex his provectiore ætate ſcriptas habitaſque, Originibus ſuis etiam incluſerat, ut viri docti colligunt ex Epitoma libri XLIX Liviani, atque e Livio ipſo XLV, 25, & Cicerone in Bruto. Quamplurimos accuſavit, pro ſe ipſe cauſam undequinquagies dixit. Ceterum Athenienſes cum non Græce ſed per interpretem allocutus eſſet, mirati ſunt illi, quod interpres breviloquentiam eius vix pluribus verbis aſſequi valuiſſet, ut refert Plutarchus p. 343 ſeq.

De liberis educandis. Macrobius III, 6.

Carmen de moribus, liber non verſibus ſcriptus, ſed proſa. Carmen enim antiquis dicebantur præcepta, leges, preces, diræ, & formulæ quævis ſolemnes, licet minime verſibus ſcriptæ eſſent, ut demonſtravi lib. I Bibliothecæ Græcæ cap. IX, ſect. 14. Vide Gellium IX, 2, & Nonium in *eligantes.*

Commentarius, quo medetur filio, ſervis, familiaribus. Plinius XXIX, 1. Plutarchus in Vita p. 350.

Apophthegmata, a ſene Catone collecta. Cicero I Offic. c. 29. Plutarch. p. 337.

De M. Catone filio, Prætore.

Filius Catonis noſtri M. Cato, Prætor, ante patrem [7] denatus, ſcripſerat *de Juris diſciplina* libros, ſive *Commentarios Juris Civilis*, quorum deci-

7. Livii Epitome lib. XLVIII: *M. Porcius Cato filii in Prætura mortui funus tenuiſſimo, ut voluit, nam pauper erat, ſumtu fecit.* De virtute ejus vide ſis Juſtinum XXXIII, 2.

mus quintus laudatur a Paullo ICto, in leg. 4. D. de Verbor. obligat. Meminit & Gellius XIII, 19. & Festus in *Mundus*. Confer, si placet, Jac. Oiselii notas ad laudatum Gellii locum. Hosce Commentarios inter Catonis Censorii scripta perperam retulere viri doctissimi, Popma & Riccobonus.

De Catone nepote.

M. Cato nepos, qui anno U. C. 638 Consul fuit, scripsit & ipse *Orationes*, quæ a veteribus allegantur, & cum Orationibus proavi subinde confunduntur. Cato nepos de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur, Priscian. III, p. 602.

De pronepote, Catone minore, Uticensi.

De *Cæsaris Anti-Catonibus*, qui oppositi erant laudibus Catonis, vulgo dicti [8] minoris, Uticensis, quem Censorii pronepotem [9] Cicero helluonem librorum appellat, ac singulari scripto laudibus in coelum extulerat, dico infra in Cæsare, ubi etiam de Bruto, qui Cæsari, ac de Augusto, qui Bruto respondit. Scripserat & Catonem M. Fabius Gallus, quem mitti sibi postulat Cicero libro VII, Epistola 24 ad Gallum. Scipionis librum probris in Catonem refertum memorat Plutarchus in Catone minore p. 787. Nimis, ut solet, audacter eruditis-

8. Vitam ejus scripsit Plutarchus p. 759 sq.

9. Vide tabellam Catonum genealogicam in Christiani Falsteri amoenitatibus philolog. pag. 291 partis III.

ſimus Bentlejus ex Horatii lib. I Oda 12 tollit, repugnantibus omnibus libris, *an Catonis nobile letum*, & pro eo reponit *anne Curti.* De eodem Catone nepote accipiendus Virgilius VIII Æneid. 670: *ſecretoſque pios, his dantem jura Catonem.* Adi, ſi placet, diſſertationem inſertam Diario Baſnagii Bellovallii (Hiſtoire des ouvrages des Savans) a. 1708. p. 102. Idem Uticenſis Cato materiam præbuit Tragœdiis duabus inſignibus, quas libenter ſpectavit Anglia, Galliaque. Anglicæ auctorem, Londini primum editæ, & deinde Hagæ 1713, 12 recuſæ, atque ex Italica metaphraſi ab *Antonio Maria Salvini* Florent. 1725, 4, Germanice a *Jo. Chriſtoph. Gotſchedio* Lipſ. 1732, 8, & Germanica proſa ab ejus uxore, conſtat fuiſſe Joſephum *Addiſonium*, præſtanti virum ingenio, qui exſtinctus a. 1719, 17 Jun. At Gallicam compoſuit Mr. Deſchamps Pariſ. 1715, 12. de qua conſulendæ ephemerides eruditorum Pariſ. 1715. Septembr. pag. 273 ſeq. & Hagenſes (Journal literaire) Tom. VI, pag. 510. ubi mentio editionis, quæ Hagæ repetita eſt cum addita comparatione Catonis Gallici Anglicique. De Addiſonii Anglici Catonis Italica Metaphraſi vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia Tom. XXII, p. 443 ſeq.

MARCI TERENTII VARRONIS
VITA
A
MARTINO HANKIO
CONSCRIPTA.

M. *Terentius Varro, C. Licinio Geta, Q. Fabio Eburno, Consulibus, Olympiadis 166 anno 1, Urbis 637, mundi 3834, ante C. N. 114 natus est. Eusebius in Chronicis ad Olympiadis 166 annum 1, num. 1901:* M. Terentius Varro philosophus & poeta nascitur.

Ei patria fuit Roma. Augustinus lib. 4 de civitate Dei cap. 1: Quod (*Varro, cum scenicos ludos in rebus divinis poneret*) profecto non auctoritate sua fecit, sed quoniam eos, Romae natus & educatus, in divinis rebus invenit.

Praeceptores cum M. Tullio Cicerone communes habuit, Romae quidem L. Ælium Stilonem, Athenis autem Antiochum Ascalonitam. Cicero in Bruto cap. 56: Cottae (*oratio*) pro lege Varia quae inscribitur, eam L. Ælius scripsit Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, & eques Romanus cum primis honestus,

idemque eruditissimus & græcis literis, & latinis; antiquitatisque nostræ & in inventis rebus, & in actis, scriptorumque veterum literate peritus. Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio præstans omnique doctrina, pluribus & illustrioribus literis explicavit. Sed idem Ælius Stoicus esse voluit; orator autem nec studuit unquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello F. ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompejo Rufo: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Ælio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Ælium adolescens, eumque audire perstudiose solerem. *Cap. 91:* Cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo philosopho, fui, studiumque philosophiæ nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo auctore & doctore renovavi. *Lib. 1 Academicarum quæstionum, cap. 3, ad Varronem:* Aristum (*Brutus*) Athenis audivit aliquamdiu, cujus tu fratrem Antiochum. *Ibidem cap. 4:* Quid? ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere? Certe enim recentissima quæque sunt correcta & emendata maxime. Quamquam Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negaret in libris (quod coram etiam ex ipso audiebamus) duas Academias esse. *Paucis interpositis:* Mihi vero ille (*Varro*), Quid est enim, quod malim, quam ex Antiocho jam pridem audita re-

cordari? *Augustinus lib. 19 de civitate Dei, cap. 3:* Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres, Varro asserit, auctore Antiocho, magistro Ciceronis & suo, quem sane Cicero in pluribus fuisse Stoicum, quam veterem Academicum, vult videri.

Amicitiam cum eodem Cicerone, non juvenis modo, sed etiam vir, coluit. Indicia sunt, epistolæ complures, & quæstiones Academicæ, quas ad Varronem Cicero scripsit: de Latina lingua libri, quorum tres Ciceroni Varro dedicavit.

Ceterum in amicis etiam Cn. Pompejum Magnum habuit, in cujus gratiam, cum primum consulatum, M. Crasso collega, suscepturus esset, commentarium isagogicum, anno Urbis 682, mundi 3879, ante C. N. 69, composuit. A. Gellius lib. 14, cap. 7: Cn. Pompejo consulatus primus cum M. Crasso designatus est. Eum magistratum Pompejus cum initurus foret, quoniam per militiæ tempora senatus habendi consulendique, rerum etiam expers urbanarum fuit, M. Varronem, familiarem suum, rogavit, uti commentarium faceret εἰσαγωγικόν. Sic enim Varro ipse appellat. Ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret.

Triumvirum atque tribunum se fuisse, profitetur ipsemet in humanarum rerum lib. 21, quem locum A. Gellius lib. 13, cap. 12 citat: Ego triumvir vocatus a P. Porcio, tribuno plebis, non ivi auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item tribunus cum essem, vocari neminem jussi, neque vocatum a collega parere invitum.

In bello, quod Romani, Pompejo imperatore, con-

tra piratas, C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione, consulibus, anno Urbis 686, mundi 3883, ante C. N. 65, susceperunt, Graeciæ classibus præfuit. Varro Lib. I de re rustica, cap. 5 : Sed quid ego (*Scrofa*) illum (*Hippocratem*) voco ad testimonium? Non hic Varro noster, cum Corcyræ esset exercitus ac classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis ac funeribus, immisso fenestris novis aquilone, & obstructis pestilentibus, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit? *In præfatione Libri II :* Qua de re pecuaria breviter ac summatim percurram, ex sermonibus nostris collatis cum iis, qui percuarias habuerunt in Epiro magnas, tum, cum piratico bello inter Delum & Siciliam, Græciæ classibus præessem. *Ubi codex, quem Ausonius Popma edidit, pro Sicilia, Ciliciam nominat. Plinius lib. 3, cap. 11 :* Inde (*a Tarento*) *XXXII* M. promontorium, quod Acran Japygiam vocant, quo longissime in maria excurrit Italia. Ab eo Basta oppidum & Hydruntum, decem ac novem M. pass. ac discrimen Jonii & Adriatici maris, qua in Græciam brevissimus transitus, ex adverso Apolloniæ oppidi, latitudine intercurrentis freti L M. non amplius. Hoc intervallum pedestri continuare transitu pontibus jactis, primum Pyrrhus, Epiri rex, cogitavit: post eum M. Varro, cum classibus Pompeji piratico bello præesset. Utrumque aliæ impediere curæ. *Florus lib. 3, cap. 6:* Ille (*Pompejus*) dispersam toto mari pestem, semel & in perpetuum volens exstinguere, divino quodam apparatu aggressus est. Quip-

pe cum classibus suis, & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus; Plotius Siculo. Gratilius Ligusticum sinum, Pompejus Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris nostri limen aperitur: Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptium, Pompeji juvenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum & Ponticum, Pamphylium Metellus, Asiaticum Cæpio; ipsas Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam obseravit. Sic per omnes æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est.

Videtur in eodem bello, Ciliciæ proprætor a Pompejo creatus, cum polleret hoc extraordinario imperio, P. Septimium, ad quem tres priores de Latina lingua libros scripsit, quæstorem habuisse. Nam lib. 4 de lingua Latina cap. 3: Ut Asia, *inquit*, sic cœlum dicitur modis duobus. nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria: & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Jonia, & provincia nostra Cilicia. *Lib. 6, cap. 7, ad Ciceronem:* Institutis sex libris, quemadmodum rebus Latina nomina essent imposita ad usum nostrum, e quibus tres scripsi P. Septimio, qui mihi fuit quæstor: tres tibi, quorum hic est tertius.

Ex hoc bello rostratam, id est, navalem coronam, (qua donari solebat prœlio maritimo, qui primus in hostium navem armatus vi transiliverat, ut A. Gellius lib.

5, cap. 6 refert) tribuente Pompejo, reportavit. Plin. lib. 7, cap. 30: M. Varronis, in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est: haud minore, ut equidem reor, gloria, principe oratore & cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quam cum eidem Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit. *Lib. 16, cap. 4:* Cedunt (*militibus, virtutis insigne clarissimum, coronæ*) & rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres: M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompejo; itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare e Siculis, quæ & ipsa piratica fuere.

C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss. anno Urbis 704, mundi 3901, ante C. N. 47, jam sexaginta septem annorum senex, cum Cæsar & Pompejus, belli civilis auctores, de principatu certarent, Pompeji proconsulis in Hispania legatus, L. Afranio & M. Petrejo collegis, erat. Ulteriorem Hispaniam, cui præerat, cum adversus Cæsarem tueri non valeret, legionem suam Cæsari tradebat, a quo dimittebatur incolumis. Suetonius in Cæsare cap. 34: Validissimas Pompeji copias, quæ sub tribus legatis, M. Petrejo, & L. Afranio, & M. Varrone in Hispania erant, invasit. *Eutropius lib. 6, cap. 15:* Inde Hispanias (*Cæsar*) petiit. Ibi Pompeji exercitus validissimos & fortissimos, cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petrejo, M. Varrone superavit. *Plutarchus in Cæsaris vita, Hermanno Cruserio interprete:* Hinc in Hispaniam cum exercitu profectus est, prius sta-

tuens Afranium & Varronem, Pompeji legatos, ſubmovere, illiuſque legiones & provincias redigere in poteſtatem ſuam, inde in Pompejum, nullo relicto a tergo hoſte, pergere. Et quamvis in crebra pericula, hinc corpore inſidiis circumventus, hinc præſertim per famem exercitus ſui incurriſſet, non ante tamen inſectari, laceſſere, circumvallare deſtitit illos, quam caſtris eorum & copiis eſſet potitus. *Florus lib.* 4, *cap.* 2, 39: Sic citerior Hiſpania recepta eſt, nec ulterior moram fecit. Quid enim una poſt quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæſaris ſequebantur. *Multo clarius & exactius exponit hæc ipſe Julius Cæſar lib.* 1 *de bello civili, cap.* 38: Adventu Vibullii Rufi, quem a Pompejo miſſum in Hiſpaniam demonſtratum eſt, Afranius & Petrejus & Varro, legati Pompeji, quorum unus tribus legionibus Hiſpaniam citeriorem, alter a ſaltu Caſtulonenſi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana, Vettonum agrum Luſitaniamque pari numero legionum obtinebat, officia inter ſe partiuntur: ut Petrejus ex Luſitania per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiſcatur; Varro cum iis, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hiſpaniam tueatur. *Lib.* 2, *cap.* 17 & 18: M. Varro in ulteriore Hiſpania initio cognitis iis rebus, quæ ſunt in Italia geſtæ, diffidens Pompejanis rebus, amiciſſime de Cæſare loquebatur: præoccupatum ſeſe legatione ab Cn. Pompejo, teneri obſtrictum fide: neceſſitudinem quidem ſibi nihilo minorem cum Cæſare intercedere; neque ſe igno-

rare, quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret, quæ vires suæ, quæ voluntas erga Cæsarem totius provinciæ. Hæc omnibus ferebat sermonibus; neque se in ullam partem movebat. Postea vero, cum Cæsarem ad Massiliam distineri cognovit, copias Petreji cum exercitu Afranii esse conjunctas, magna auxilia convenisse, magna esse in spe atque exspectatione, & consentire omnem citeriorem provinciam, quæque postea acciderant, de angustiis ad Ilerdam rei frumentariæ accepit; atque hæc cum latius atque inflatius Afranius perscribebat: se quoque ad motum fortunæ movere cœpit. Delectum habuit tota provincia; legionibus completis duabus cohortes circiter XXX alarias addidit; frumenti magnum numerum coegit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petrejoque mitteret; naves longas X Gaditanis, ut facerent, imperavit; complures præterea Hispali faciendas curavit: pecuniam omnem omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit. Eo VI cohortes, præsidii causa, ex provincia misit; Cajumque Gallonium, equitem Romanum, familiarem Domitii, qui eo procurandæ hereditatis causa venerat missus a Domitio, oppido Gadibus præfecit: arma omnia privata & publica in domum Gallonii contulit. Ipse habuit graves in Cæsarem conciones. Sæpe ex tribunali prædicavit, adversa Cæsarem prœlia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse. Hæc se certis nuntiis, certis auctoribus comperisse. Quibus rebus perterritos cives Romanos ejus provinciæ sibi ad remp. admi-

nistrandam HS. CXC, & argenti pondo XX millia, tritici modios CXX millia polliceri cogit. Quas Cæsari esse amicas civitates arbitrabatur, iis graviora onera injungebat: qui verba atque orationem adversus remp. habuissent, eorum bona in publicum addicebat; præsidiaque eo deducebat, & judicia in privatos reddebat: provinciam omnem in sua & Pompeji verba jusjurandum adigebat. Cognitis iis rebus, quæ sunt gestæ in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, ut se cum duabus legionibus Gades conferret, naves frumentumque omne ibi contineret. Provinciam enim omnem Cæsaris rebus favere cognoverat. In insula, frumento navibusque comparatis, bellum duci, non difficile existimabat. *Ibidem cap. 19 & 20:* Duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam cum Q. Cassio, tribuno plebis, ipse (*Cæsar*) cum equitibus DC magnis itineribus progreditur; edictumque præmittit, ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet. Quo edicto tota provincia pervulgato, nulla fuit civitas, quin ad id tempus partem senatus Cordubam mitteret; nullusve civis Romanus paulo notior, quin ad diem conveniret. Simul ipse Cordubæ conventus per se portas Varroni clausit, custodias vigiliasque in muro turribusque disposuit. Cohortes duas, quæ Colonicæ appellabantur, cum eo casu venissent, tuendi oppidi causa, apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonenses, quæ est longe firmissima totius provinciæ civitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus a Varrone præsi-

dio, per ſe cohortes ejecit, portaſque præcluſit. Hoc vero magis properare Varro, ut cum legionibus quam primum Gades contenderet: ne itinere aut transjectu intercluderetur. Tanta ac tam ſecunda in Cæſarem voluntate provincia, progreſſo ei paulo longius literæ a Gadibus redduntur: ſimulatque cognitum ſit de edicto Cæſaris, conſenſiſſe Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quæ eſſent ibi in præſidio, ut Gallonium ex oppido expellerent, urbem inſulamque Cæſari ſervarent. Hoc inito conſilio, denuntiaviſſe Gallonio, ut ſua ſponte, dum ſine periculo liceret, excederet Gadibus. Si id non feciſſet, ſibi conſilium capturos. Hoc timore adductum Gallonium Gadibus exceſſiſſe. His cognitis rebus, altera ex duabus legionibus, quæ vernacula appellabatur, ex caſtris Varronis, adſtante & inſpectante ipſo, ſigna ſuſtulit, ſeſeque Hiſpalim recepit, atque in foro & porticibus ſine maleficio conſedit. Quod factum adeo ejus conventus cives Romani comprobaverunt, ut domum ad ſe quiſque hoſpitio cupidiſſime reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, cum, itinere converſo, ſeſe Italiam venturum promiſiſſet, certior a ſuis factus eſt, præcluſas eſſe portas. Tum vero, omni intercluſus itinere, ad Cæſarem mittit, paratum ſe eſſe, legionem, cui juſſerit, transdere. Ille ad eum Sex. Cæſarem mittit, atque huic transdi jubet. Transdita legione, Varro Cordubam ad Cæſarem venit: relatis ad eum publicis rationibus, cum fide, quod penes eum eſt pecuniæ, transdit, &, quod ubique habeat frumenti ac navium, oſtendit. *Dio Caſſius*

lib. 41, cum narrasset, Pompejanis deditis, Cæsarem nulla re, contra deditionis leges, fuisse gravem, Guilielmo Xylandro interprete, subjungit: Hoc factum Cæsari haud parvum, cum ad gloriam, tum ad rem gerendam momentum attulit. Omnes enim Hispaniæ civitates, omnesque, qui in ea erant, milites, quorum, præter eos, qui in Bætica erant, magnum secum M. Terentius Varro, Pompeji legatus, numerum habebat, sibi adjunxit.

Post hæc, a bibliothecis comparandis atque digerendis Cæsari fuit. Suetonius in Cæsare cap. 44: Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. *Isidorus Hispalensis lib. 6 originum cap. 5:* Romæ primus librorum copiam advexit Æmilius Paullus, Perse Macedonum rege devicto, deinde Lucullus e Pontica præda. Post hos Cæsar dedit M. Varroni negotium, causa maxime bibliothecæ construendæ. Primum autem Romæ bibliothecas publicavit.

C. Julio Cæsare III, M. Æmilio Lepido Coss. anno Urbis 707, mundi 3904, M. Terentius Varro M. Bruti proconsulis in Gallia quæstor fuit. Cicero lib. 13 familiarium, epist. 10 ad M. Brutum: Cum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione eum egere non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more majorum; qui, ut te non fugit, hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas literas maximum apud te pondus habituras, a

meque contenderet, ut quam diligentissime scriberem; malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas; cum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam se meam contulit. Deinde, ut se corroboravit, duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum benevolentiam augerent: una, quod versabatur in hoc studio nostro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria: deinde, quod mature se contulit in societates publicanorum, quod quidem nollem; maximis enim damnis affectus est. Sed tamen causa communis ordinis mihi commendatissimi fecit amicitiam firmiorem. Deinde versatus in utrisque subselliis optima & fide & fama, jam ante hanc commutationem reip. petitioni sese dedit, honoremque honestissimum existimavit fructum laboris sui. *Hæc de nostro Varrone capit in ejus vita Marcus Vertranius Maurus. Sed an Varro, quem Tullius Bruto commendat, noster, qui tum septuagenarius erat, fuerit, incertum videtur. nam illa quidem ætate, qua noster vixit, plures alii fuerunt Marci Terentii Varrones, de quibus in seqq.*

A Hirtio, C. Vibio Pansa, Coss. anno Urbis 710, mundi 3907, ante C. N. 41, Cæsar Octavianus Augustus, M. Lepidus, & M. Antonius, triumviri, tum alios multos, tum etiam Varronem nostrum, inprimis Antonio (forsan ob Ciceronis quoque familiaritatem) invisum, proscripserunt. Appianus lib. 4 de bellis civilibus, interprete Sigismundo Gelenio: Varro philosophus idem & historicus, miles simul & dux probatus, ideo fortasse, ut iniquior dominatui, proscri-

ptus est. Eum familiaribus certatim cupientibus recipere, vicit Calenus, & in villa, ad quam ex itinere Antonius divertere solebat, eum habuit: a nullo tamen vel ipsius Varronis, vel Caleni servo indicatus est. *Gellius lib. 3, cap. 10:* Ex quibus (*libris suis, Varro scribit*) aliquantum, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse.

Ceterum inter proscriptos etiam fuit diversus a nostro M. Terentius Varro Lucullus (anno Urbis 680, mundi 3877, ante C. N. 71, consul) quem Antonius, hostium suorum, Bruti Cassiique partes secutum interemit. Vellejus Paterculus lib. 2, cap. 71: Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. *Valerius Maximus lib. 4, cap. 7, exemplo Romano 4:* Recognosce, quousque T. Volumnii constantem erga amicum suum caritatem sine ulla reip. injuria evexeris: qui ortus equestri loco, cum M. Lucullum familiariter coluisset, eumque M. Antonius interemisset, in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit; hucusque in lacrimas & gemitus profusus, ut nimia pietate caussam sibi mortis arcesseret.

Alius ab his duobus M. Terentius Varro, a triumviris minime proscriptus, eo tempore tribunus plebis, metuens, ne, quod Helvio Cinnæ, tribuno plebis, anno Urbis 709 acciderat, per nominis errorem trucidaretur, edito scripto significavit, se non esse Varronem pro-

ſcriptum. Dio Caſſius lib. 47, *Guilielmo Xylandro interprete:* M. Terentius Varro, tribunus plebis tum temporis, eandem cum quodam proſcripto appellationem gerens, uno excepto cognomento, cum alioquin nihil contra triumviros deliquiſſet, veritus, ne idem ſibi, quod Cinnæ accideret, edito ſcripto eam rem declaravit; hocque eo nactus eſt facto, ut jocis riſuque agitaretur.

Anno Urbis 717, mundi 3914, ante C. N. 34, ætatis 81, de re ruſtica libros, ex quibus primum ad Fundaniam uxorem, ſcripſit. Lib. 1, cap. 1: Otium ſi eſſem conſecutus, Fundania, commodius tibi hæc ſcriberem, quæ nunc, ut potero, exponam, cogitans, eſſe properandum, quod, ut dicitur, ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex. Annus enim octogeſimus admonet me, ut ſarcinas colligam, antequam proficiſcar e vita. Quare, quoniam emiſti fundum, quem bene colendo fructuoſum conficere velis, meque ut id mihi habeam curæ, roges, experiar: & non ſolum ut ipſe, quoad vivam, quid fieri oporteat, te moneam, ſed etiam poſt mortem. *Lib.* 2, *cap. 1:* Quoniam de agricultura librum Fundaniæ uxori propter ejus fundum feci; tibi, Niger Turrani noſter, qui vehementer delectaris pecore, propterea quod te emturientem in campos macros ad mercatum adducunt crebro pedes, quo facilius ſumtibus multa poſcentibus miniſtres. Quod eo facilius faciam, quod & ipſe pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, & in Reatino equarias. *Plinius lib. 18, cap. 3:* Sapientes vero complures (*de cultura agri præceperunt,*) quos ſequentes prætexuimus

in hoc volumine, non ingrate nominando M. Varrone, qui octogesimum primum vitæ annum agens, de ea re prodendum putavit.

Annum octogesimum quartum agebat, cum quadringentos nonaginta libros scripserat. A. Gellius lib. 3, cap. 10: Ibi (*in hebdomadum libris Varro*) addit, se quoque jam duodecim annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomades librorum conscripsisse.

Octogesimo octavo ætatis anno scribendis adhuc libris intentus erat. Plinius lib. 29, cap. 4: Cunctarer in proferendo ex his remedio, nisi M. Varronem scirem octogesimo octavo vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissime curari, hausta a percussis ipsorum urina.

Eodem ætatis anno, Olympiadis 188 anno 1, Urbis 725, mundi 3922, ante C. N. 26, cum Augustus Cæsar sextum, M. Agrippa secundum consulatum gereret, vitam suam terminabat. Valerius Maximus lib. 8, cap. 7, exemplo Romano 3: Terentius Varro, humanæ vitæ exemplo ætatisque spatio nominandus, non annis, quibus seculi tempus æquavit, quam stilo vivacior fuit. In eodem enim lectulo & spiritus ejus, & egregiorum operum cursus exstinctus est. *Eusebius in chronicis, ad Olympiadis 188 annum 1, num. 1989:* M. Terentius Varro philosophus prope nonagenarius moritur.

NOTITIA LITERARIA
DE
M. TERENTIO VARRONE
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. I, Lib. I, cap. VII.

M. *Terentius* [1] *Varro*, Romæ natus est anno U. C. 638. Vir undecunque doctissimus, Ciceronis & aliorum virorum clarissimorum familiaris, qui, postquam tribunatu & aliis muneribus functus fuisset, & in bello civili Pompejanas partes strenue conatus esset tueri, [2] mature tamen Cæsari victori se permisit, & ab eo in gratiam receptus, Bibliothecisque græcis & latinis comparandis ac dirigendis præfectus, in literato otio delituit, totumque se tradidit scribendis libris. Septuagenario major ab Antonio una cum Cicerone anno U. C. 710 proscriptus, evasit quidem, attamen direptis bibliothecis suis

1. Terentium Sabinorum lingua notare mollem, docet Varro apud Macr. II, 14 Saturn.

2. Vide Vertranium Maurum & Ausonium Popmam in Varronis vita, ac præcipue Martinum Hankium libro 2 de Rom. Rerum Scriptoribus cap. 6.

gravem jacturam passus est, etiam scriptorum suorum, atque in his εἰσαγωγικοῦ, quem Cn. Pompejo scripserat, ut memorat Gellius XIV, 7. Reliquum vitæ tempus, nulla interpellante vi, totum peregit in literis, plurimaque composuit, ita ut ipse duodecimam annorum hebdomadam, hoc est, septuagesimum & octavum ætatis annum ingressus memoret, se septuaginta hebdomadas librorum [3] hoc est libros 490 conscripsisse. E tanto [4] numero admodum pauci, neque illi integri, tanquam tabulæ fractæ e naufragio ereptæ, ad nostram pervenerunt ætatem: cujus jacturæ causam cognoscimus (at fides sit penes auctorem) ex Naudæanis, ubi pag. 37 (Amstel. 1703, 12.) de fatis librorum Varronianorum hoc relatum legimus: *Machiavel & Cardan ont dit, que Gregoire VII avoit fait brûler la plûpart des bons livres des Anciens. Ce fut lui, qui fit brûler toutes les Œuvres de Varron, qui fuit Romanorum togatorum doctissimus, ne ex ejus libris plagii reus posset insimulari divus Augustinus, qui suos libros de civitate Dei totos ex Varrone descripserat. Aliqui negant factum, mais cela n'est pas aisé à croire; ce Pape en avoit bien fait & entrepris d'autres.* Et plures causæ, præcipue magnitudo & multitudo voluminum, esse potuerunt, cur maxima pars temporis iniquitate interierit. Præter fragmenta supersunt I. *de re rustica libri III*, quos natus octoginta annos composuit. In primo ipsam agriculturam explicat; in altero expo-

3. Gellius III, 10.
4. Ex clar. Harlesii Introductione in notitiam literaturæ Rom. inprimis scriptorum Latinorum, Part. II, p. 167. Noriberg. 1781.

nit de origine, dignitate & arte rei pecuariæ; in tertio paſtiones complectitur villaticas. II. e libris XXIV *de lingua latina* exſtant liber IV, V, & VI, in quibus origines ipſas verborum latinorum perſequitur, ad M. T. Ciceronem; & liber VII, VIII, & IX, qui ſunt de analogia, ſed perinde, ut priores, hinc inde habent lacunas. Diem ſupremum obiit Varro prope nonagenarius, (anno enim octogeſimo & octavo ætatis adhuc ſcripſiſſe traditur a Plinio XXIX, 4.) anno Urbis 727. ante Chriſtum natum 27. De Varronis ætate confer Arnoldum Pontacum ad Chronicon Euſebii pag. 52.

NOTITIA LITERARIA

DE

L. COLUMELLA

EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. II, Lib. II, cap. VII.

Columellæ ætas.

L. Junius Moderatus Columella, Gaditanus, patruum laudans V, 5 M. Columellam, *illustribus disciplinis eruditum, ac diligentissimum agricolam Bæticæ provinciæ*, ipse Plinio, Palladio, Isidoro Hispalensi XVII, 1, aliisque sæpius laudatus, sub Claudio Imperatore scripsit: diversus, ut videtur, a Moderato Gaditano, Pythagorico, ejusdem ætatis Græco scriptore fuit, Gaditanus & ipse; quod satis videtur innuere ipse V, 5, VII, 2, VIII, 16, X, v. 185, licet in dubio relinquit Nic. Antonius, qui de Columella videndus lib. 1 Bibl. veteris Hispanæ cap. 5. Sane Pythagoricum illum quando appellant sive Latini scriptores, sive Græci, *Moderatum* semper vocant, *Columellam* nunquam. Et difficulter ab Oratore latino, tam prolixum opus philosophici argumenti, Græco stilo traditum, exspe-

ctaveris. Meminit & III, 3, Senecæ ejusque vinearum, & sæpius Cornelii Celsi æqualis sui, ut cognosces ex indice scriptorum a scriptoribus rei rusticæ laudatorum. Columellam laudavit Theodorus Beza hoc Epigrammate, quod in ejus Juvenilibus legitur:

Orphea mirata est Rhodope sua fata canentem,
Si modo Virgilii carmina pondus habent.
Tu vero, Juni, silvestria rura canendo
Post te ipsas urbes in tua rura trahis.
O Dii! quos olim nutrivit Roma Quirites,
Cum tam facundum viderit agricolam.

Scripta, quæ exstant.

De re rustica libros XII, [1] ad Publium Silvinum scripsit, quorum decimus *de cultu hortorum*, carmine

1. Ex ipso Columella constat, opus illud 12 libris ab auctore fuisse absolutum, etsi in Cassiodori divinis lectionibus cap. 28, Columellam *sedecim libris per diversas agriculturæ species, eloquentem ac facundum illabi disertis potius, quam imperitis accommodum.* Itaque alios libros tres Columellam ad hoc argumentum spectantes, & librum de arboribus una computavit Cassiodorus, vel numerum apud eum corruptum esse suspicemur. Obiter de Columellæ nomine notabis Donatum, qui ad Phormion. II, 2 scripsit, Columellas a veteribus dictos servos majores domus. *Columen, Columna. Unde apud veteres columellæ dicti servi majores domus. Lucilius. XXII:*
Servus neque infidus Domino, neque inutilis cuiquam.
Lucili columella hic situs Metrophanes.
Salmasio ad Solinum pag. 1220, alius sensus verborum Lucilii esse videtur, hic nempe: sub hac columella, sive στήλη, situm esse Metrophanem Lucilii servum. Gatakerus tamen II, 20, cinni expositionem Donati probat. Confer quæ viri docti ad Martial. II, 90.

Epico, non infeliciter ſupplet Virgilii Georgica, *Siderei vatis referens præcepta Maronis.* Reliqui proſa oratione ſcripti ſunt, expetente hoc Claudio Auguſtali adoleſcente, qui etiam hortorum cultum ſimili ſermone expoſitum a Columella maluiſſet.

Libri de generibus ſurculorum, libro & capite ſecundo Columellæ memorati, haud diverſi eſſe videntur a libro tertio, quarto & quinto hujus ipſius de agricultura operis, ex quo etiam nonnulla ad veterinariam pertinentia ad verbum mutuatus eſt Vegetius in digeſtis artis mulomedicinæ, Columellam nominetenus laudans in præf. his verbis: *Licet proxima ætate & Pelagonio non defuerit, & Columellæ abundaverit dicendi facultas: verum alius eorum cum ruſticæ rei præcepta conſcriberet, curas animalium levi admonitione perſtrinxit, alius omiſſis ſignis cauſiſque morborum, quaſi ad doctiſſimos ſcriberet, tam magnæ rei fundamenta neglexit.* Conf. Hieron. Mercurialem IV, 18, Var. Lect.

Menagius pag. 54 ad Laertium laudat Codicem MS. Columellæ Monaſterii Corbejenſis, qui hodie in Bibliotheca S. Germani de Pratis aſſervatur: ejus lectiones in edit. ſecunda Ruſticorum Geſnerianorum proferuntur. Alii tres MSS. exſtant in Biblioth. Medicea, quartus Venetiis in Bibl. S. Marci, quintus Florentiæ in Bibl. Auguſtinianorum S. Galli, quibus duobus poſtremis uſus eſt Petrus Victorius. Codice MS. Lipſienſi e Biblioth. ampliſſimi Senatus uſus eſt Joannes Conradus Schwarzius. Nonnulla Columellæ loca illuſtrat Barthius Adverſ. 37, 7; & Richardus Bradley, Profeſſor Botanices in

Academia Cantabrigiensi in opere eximio, A survey of the ancient Husbandry and gardening, collected from Cato, Varro, Columella, Virgilius, Lond. 1725, 8. item Vir doctus in Obs. Misc. Dorvillianis Vol. VII, T. 2. item *Polenus* in Epistolis.

Scripta deperdita.

Cetera Columellæ scripta, uti quod adversus Astrologos composuisse se ait lib. XI, c. 1, una cum alio opere, in quo agere constituerat de lustrationum ceterorumque sacrificiorum, quæ pro frugibus fiunt, more priscis usurpato, ad nos non pervenerunt. Neque certum est, an hoc alterum a Columella unquam editum fuerit. Vide lib. 2. cap. ult. in fine.

NOTITIA LITERARIA
DE
PALLADIO
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. III, Lib. III, cap. IV.

PALLADIUS Rutilius Taurus (Volaterrano Scaurus) Æmilianus, [1] vir illustris, & Græce doctus,

1. In Codd. ant. dicitur *Palladius Rutulus*; v. Barth. ad Rutilium I, 208. *Æmilianum* inter auctores probabiles rei Georgicæ laudat Cassiodorus cap. 28 divin. lection. Memoratur etiam Isidoro Hispalensi XVII, 1 Originum. Ceterum notior & hic scriptor nomine Palladii, ac diversus esse videtur a *Palladio rhetore*, qui frater a Symmacho dicitur, & cujus pompam atque facundiam celebrat idem, atque Sidonius Apollinaris V, Ep. 10. Fuit etiam *Palladius medicus*, Alexandrinus, Galeno junior, qui Græce scripsit in quosdam libros Hippocratis. Alius *Palladius sophista Methonæus*, Palladii filius, sub Constantino Imp. celeber, teste Suida, qui scripta ejus commemorat. Alius *Palladius* vitæ Chrysostomi & Historiæ Lausiacæ scriptor, ad quem haud dubie referendus liber de Gentibus Indiæ & Brachmanibus, quem sub Palladii nomine vulgavit Eduardus Bissæus, & sine auctoris nomine ante Bissæum, quod hunc fugit, Joachimus Camerarius ὁ πάνυ, in libello Gnomico, de quo vid. lib. 2 Bibl. Græcæ c. 11. § 6. Omitto *Palladium*, cujus Epistola ad Epiphanium, Ancorato Epiphanii præmittitur. Fuit & *Palladius* quidam cursor Theodosii Junioris, cujus mentio apud Socratem VII,

patria, ut videtur, Romanus, etsi fundorum suorum in Sardinia, in territorio Neapolitano, mentionem facit lib. 4, p. 578 edit. Commelin. Scripsit post Apulejum, cujus testimonio semel utitur; non itaque sub Hadriano, ut perperam affirmat Lud. Vives libro tertio operis doctissimi de tradendis disciplinis. Scripsit, inquam, dictione simplici, nec ineleganti tamen, *de Re Rustica libros XIV*, quorum primus præcepta rei rusticæ varia complectitur, secundus usque ad tertium decimum singulis libris singulorum mensium operas rusticas explicat, initium faciens a Januario. Ultimus denique ad *Pasiphilum*, [2] quem virum doctissimum vocat, & cui

19 &c. Nostrum porro, de quo jam agimus, Palladium ab aliis *Paludium*, ab aliis *Rutilium Palladianum* dictum reperio. Plures Tauri nomine claros refert Colomesius pag. 240 Opusc. Apud Labbeum vero pag. 198 Bibliothecæ novæ Mss. vitiose, ni fallor, noster vocatur Palladius Rutilius Paulus Æmilius, Vol. I. Palladios alios ultra quinquaginta recensui lib. V Bibl. Græcæ cap. 32, Volum. IX, pag. 10 seq. ubi de Palladio Græco Histor. Lauf. scriptore. add. Prosopogr. Cod. Theod.

2. Incertum, cuinam Pasiphilo libros suos inscribat Palladius. Pasiphili philosophi, qui a C. 371 sub Valente tortus, mentio ap. Ammian. XXIX, 1. Ad Pasiphilum est leg. 8 Cod. Theodos. de Jurisdictione, Olybrio & Probino Coss. a C. 395, quem Vales. ad Amm. l. c. putat esse Palladii amicum. Epistola, quæ libro tertio decimo subjicitur, toti operi præmittenda videbatur Jo. Conrado Schwartz, qui novam Palladii editionem parabat. vide ejus Epistolam ad virum nobilissimum Gottfrid. Thomasium, insertam Actis Eruditorum Germanice editis Tom. 2, pag. 342 seq. Sic notum est, in antiquis Gellii editionibus Epistolam, quam toti operi Gellius præmiserat, ad calcem rejectam legi. Sed ei Gesnerus non paruit. recte.

ſuperiores quoque inſcripſit libros, agit de inſitione, verſibus hexametris & pentametris. Priores libri tredecim, ut ipſius auctoris verbis utar, ſunt

Nec ſtricti numeris, nec Apollinis amne fluentes.

Prodiit hoc agricolare Palladii opus ſæpius cum Aldi Manutii commentario de dierum generibus apud Palladium, & cum Catonis, Varronis & Columellæ ſcriptis ejuſdem argumenti, caſtigatum & illuſtratum a Petro Victorio atque Hieronymo Commelino, Philippo Beroaldo, & pluribus aliis in editione Ruſticorum Geſneriana. Vide quæ ſupra dicta ſunt. Commeliniana Palladii editio cum Mſ. collata exſtat in Bibl. Leidenſi. Eſt & Erfurti in Bibl. Collegii Amploniani Codex membranaceus, cujus collatio novæ Ruſticorum editioni addita eſt.

NOTITIA LITERARIA DE VEGETIO RENATO EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. III, Lib. III, cap. XIII.

EXSTANT sub *Vegetii* nomine, (non *Flavii*, sed *Publii Vegetii*) artis Veterinariæ [1] sive *Digestorum artis Mulomedicinæ* Libri IV, ipso titulo Digestorum indicante, esse hæc collectanea, sive ab ipso Vegetio, sive ab alio, qui Vegetianis alia adderet. Primum hi libri Basil. 1528, 4. editi sunt per Joh. [2] Fabrum Emmeum, typographum Juliacensem,

1. *Veterina* animalia dicuntur ad vecturam idonea, veluti *vecterina* vel *vehetrina*, equi, asini, muli, quos *generis veterini* nomine complectitur Plin. VIII, 42. Hist. & XI, 46, & veterina pecori opponit X, 73. Vide Festum, Noniumque. Lucretius V, 888:

Ne forte ex homine & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse. —

2. In Merklini Lindenio renovato p. 1037, male vocari videas *Jo. Febrium*: apud Vossium p. 79 de Philosophia perperam legitur *Jac. Fabri*. Idem ait, se accepisse,

cum præf. Hermanni Comitis Nuenarii, præpositi primariæ ædis Coloniensis, ad Ferdinandum Hungariæ & Bohemiæ Regem: quæ editio cum notis Mss. fuit in Bibl. Almeloveenii: item cum antiquissimo Corbejensi & optimæ notæ codice, literis uncialibus exarato (licet lacunis hinc inde deformato) collata in Gudiana.

Prodiit deinde Vegetius e pluribus codicibus castigatus, curante *Sambuco*, Basil. 1574, 4. Ab illo tempore, quod quidem repererimus, editus hic liber non est, donec *Jo. Matthias Gesnerus* ad recensendum hoc opusculum induci se passus est, partim per insignem illum locum, qui e Columellæ libris de Re Rust. repetitus, in eo reperitur, partim per largam facultatem librorum scriptorum & excerptorum e libris scriptis, ei oblatorum, si eum librum addere Corpori Scriptorum de Re Rustica vellet. Itaque fecit: ei subjecit varietatem lectionis e libris illis collectam, admixtis suis notulis. de Mss. v. præf. Gesneri ad Scrip. R. R. §. XI. Locum Columellæ illum insignem jam comparaverat cum libris Columellæ & opem mutuam sibi præstare utriusque libros jusserat *Morgagni* in Epist. 3.

Novam operis editionem molitus est *Casp. Bartholinus*, Thomæ filius, cum suis & *Jo. Rhodii* notis: ejusque jam primum folium speciminis loco

libros illos Londini apud virum doctum exstare Mstos alteraque parte auctiores. In Catalogo librorum Mss. Is. Vossii inter Codices latinos num. 115, video memorari Vegetium de re Veterinaria editis auctiorem & emendatiorem.

typis exſcriptum eſt, una cum dedicatione ad Illuſtrem Virum Ant. Magliabechium. *Jo. Rhodius* in Lexico Scriboniano p. 369 promiſit, ſe *Gargilii Martialis* Veterinarii nondum editi fragmentum cum Publio Vegetio emendatiore editurum: interea multa Vegetii mulomedici loca emendavit notis ad eundem Scribonium. Vegetium de mulomedicina, nec minus Chironis Centauri, Abſyrti & Cl. Hemerotis de arte Veterinaria Libros X, & Oliverii Neapolitani Librum de equis, Mſ. ſervabat Norimbergæ Gottfridus Thomaſius.

CHRISTIANI SCHŒTTGENII

DE

GARGILIO MARTIALE

BREVIS DISSERTATIO.

Ætas Gargilii.

GARGILIUS Martialis quo tempore vixerit, docet Lampridius in Alexandro Severo c. 37, qui *ejus temporis ſcriptorem* vocat, Vopiſcus autem in Probo c. 2, inter Suetonium Tranquillum & Julium Capitolinum collocat. Incidit igitur ætas ipſius in ſeculum III a nato Chriſto. Proinde neſcio, quid in mentem venerit Servio, qui verba Virgilii explicans, ubi materiam de arboribus tangens his verbis utitur, Georg. 4, 147:

Verum hæc ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis
Prætereo, atque aliis poſt commemoranda relinquo.

hæc addit: *Gargilium Martialem ſignificat.* Quomodo enim Virgilius talem indigitare poteſt, qui tribus poſt ſeculis demum in lucem prodiit? Volebat forte ſcribere, illud, quod aliis poeta reliquit, Gargilium Martialem poſt tria ſecula demum exſecutum eſſe. Horatius equidem Epiſt. 1, 7, Gargilium quendam venatorem ridet, qui feras pecunia coemtas mulo impoſuerat, & per forum vexerat,

ut eas ipse cepisse videretur. Sed illum non credo huc pertinere. Si enim aurei seculi scriptor esset Gargilius Martialis, Columella, diligens rei rusticæ scriptor, illum non præteriisset, sed, quod de aliis fecit, in usum suum convertisset. Jam vero Gargilius noster a Palladio demum allegatur, & a nemine, qui Palladio est antiquior, adeoque seculum, quod ipsi adscripsimus, optime convenit. Quis autem fuerit, quæ patria, quas dignitates ornaverit, nemo veterum tradidit.

Scripsit I. Historiam Augustam.

Ex operibus notior est, quæ tunc quidem elaboravit, injuria vero temporum nobis invidit. Primo loco scripta ejus historica tangenda sunt, quæ scilicet ad res gestas Imperatorum Romanorum illustrandas memoriæ prodidit. Testis est Lampridius, qui, cum frugalitatem Alexandri Severi memorat, omniaque ipsi ad modum & rationem præbita fuisse tradit, ad Gargilium Martialem provocat, illorum temporum scriptorem, qui hæc singulatim persecutus sit. Clarius id probat locus Vopisci in Probo, qui illum non optimis, sed tamen veris scriptoribus adnumerat. Verba ejus hæc sunt: *Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum & temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæterosque, qui hæc & talia non tam diserte, quam vere, memoriæ tradiderunt.*

II. De hortis.

Porro ipſum ad horticulturam animum applicuiſſe teſtes habemus tres. Servium jam audivimus. Palladius duodecies ad ipſum provocat, & loca facili negotio afferri poſſent, ſed nihil ex iiſdem amplius, quam quæ jam dixi, conſpicitur. Tertius eſt Caſſiodorus, qui c. 28 Divinarum Lectionum hoc ipſum elogio mactat: *Quod ſi hujus ſtudii requirantur auctores, de hortis ſcripſit pulcherrime Gargilius Martialis, qui & nutrimenta olerum, & virtutes eorum diligenter expoſuit, ut ex illius commentarii lectione, præſtante Domino, unuſquiſque & ſaturari valeat, & ſanari.* Neque de ſolis oleribus commentatus eſt Gargilius, ſed de tota horticultura: nam ipſum de amygdalis, nucibus, citro, ficu, ceraſo, & aliis hujuſmodi fructibus agentem citat Palladius. Ceterum Caſpar Barthius, Criticus non incelebris, Adverſ. 38, 4, librum de Arboribus, qui Columellæ adſcribitur, Gargilio Martiali tribuit, ejuſque rei cauſas in Commentario *de dubiis Scriptoribus* ſe diſſeruiſſe tradit. Commentarii vero illi lucem publicam nondum adſpexerunt. Quæcunque vero ſint rationes Barthianæ, ego contra rationem habeo non contemnendam, quæ librum laudatum Columellæ vindicat. Teſtimonium ſcilicet Palladii, qui Columellam bis citat, quæ in libro de Arboribus inveniuntur. Prior locus exſtat in Februario, tit. 10: *Ulmos Columella dicit ſeminario debere nutriri.* Hæc exſtant libri jam dicti c. 16. Alter in Octobri, tit. 3: *Aſſerit autem Columella, explorari fœcunditatem vitium uno anno*

non posse, sed quatuor. Invenies hæc libro de arboribus c. 2.

III. De re Veterinaria.

Tandem de re Veterinaria ſive Medicina animalium ſcripſiſſe hunc noſtrum, ex antiquis nemo equidem memorat: fragmentum tamen, quod nunc edimus, illud ſatis ſuperque teſtatur. Et credibile eſt, ipſum de univerſa re ruſtica ſive œconomica ſcripſiſſe, quia duas has partes illius non poſtremas attigit. Petrus Victorius teſtatur in præfatione ad Catonem, Varronem & Columellam, in codicis manu exarati, quo ad hos ſcriptores reſtituendos uſus eſt, inſcriptione, Gargilii Martialis quoque nomen adfuiſſe, quamvis ipſum opus defuerit. Idem autem fragmentum, quod nunc damus, habuit etiam Jo. Rhodius, illiuſque edendi ſpem fecerat in Lexico Scriboniano p. 367; impleviſſe autem non conſtat. Primus igitur illud typis publicis nunc edo, idque ex codice bibliothecæ Lugduno-Batavæ, ex quo in meos uſus olim deſcribi curavit vir celeberrimus Jacobus Perizonius. Scriptum autem eſt exemplum Lugdunenſe manu recentiore anno CIƆIƆXXXVII nono Octobris, ex exemplari monaſterii Corbejenſis depromtum, quod tunc temporis Coloniæ apud S. Pantaleonis depoſitum erat, prout ſub finem adſcriptum legitur. Librarium habuit non optimum: quare Medici & Critici eruditi manum exſpectat, qui Vegetio & Hippiatricis græcis adhibitis loca depravata reſtituat.

INDEX
EDITIONUM
REI RUSTICÆ SCRIPTORUM
AUCTIOR GESNERIANO ET IN V ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS* 1470 — 1513

a *Jensoniana* principe, s. *Veneta* I a Georgio *Merula* curata, quæ fere regnat per hanc ætatem in *Venetis* & *Regiensibus*. Sed lectionem correctiorem reddidit *Bononiensis* I Phil. *Beroaldi*, dein repetita. Easdem secuta est Parisina *Ascensii* 1513.

1470 Editio princeps. *Venetiis*, fol. *per Nic. Jensonum*. Cato, Varro, Columella, Palladius. Tres priores recensuit Georgius *Merula* Alexandrinus; Palladium Franc. *Collucia*, Venetus.

1472 *Veneta* II. fol. *M. Cato*, *M. T. Varro*, *L. Jun. Moderat. Columella*, *Palladius Rutilius Taurus Æmilianus de re rustica. Venetiis*, *Nicolao Throno Duce Venetiarum inclyto*, *opera & impensa Nicolai Jenson.* — Repetitio ed. 1470. Est in bibliotheca publica Noribergensi, unde utendam accepit cl. Gesnerus. Exstat etiam in bibliotheca Electorali Dresdensi, ex thesauris illustriss. Bunavii. Usus est etiam in sua editione Jul. Pontedera.

1482 *Regii* I, fol. opera & impensis Bartholomæi *Bottoni*, alias *Bruschii* Regiensis. Cato, Varro, Columella, Palladius. In ea legas hoc octastichon:

Priscorum quicunque studet monumenta doceri,
Terrarum & cultus, *arma Deosque simul*,

Hos legat antiquos Varronem, cumque Catonis
Scripta, Columellam, Palladiumque legat.
Rura canunt, rurisque Deos: his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.
Impressit Regii nuper volumina quorum
Optime Bottonus nomine Bartholomaeus.

Exstat, Fabricio teste, Hieron. Commelini manu passim annotata, in biblioth. publica Academiæ Franequeranæ. Usus ejus lectionibus Roma sibi missis Jul. Pontedera: quas nonnunquam diversas esse ab aliis omnibus, apparet Cat. 5, 1.

1494 *Bononiæ* I, f. Beroaldi, fol. *Opera Agricolationum: Columellæ: Varronis: Catonisque: nec non Palladii: cum excriptionibus. D. Philippi Beroaldi, & Commentariis quæ in aliis impressionibus non exstant.* — In adversa titulo pagina legitur præfatio Georgii Alexandrini, inscripta Petro Priolo, M. filio Veneto, (Enarrationibus priscarum vocum præmissa) tum sequitur brevior ep. Phil. Beroaldi: cujus finis hic est: *Hosce uno volumine connexos nuperrime impressit* Benedictus *Bibliopola Bononiensis castigatius limatiusque, quam priores impressores factitaverint: Additis non paucis appendiculis: quod veluti illicium emptori sit: eumque faciat empturientem magis. Quidquid id est, lector candide quæso boni consulito.* — Inverso autem ordine, quem titulus habet, post enarrationes vocum, se excipiunt, Cato, Varro, Columella, Palladius. Sub finem Varronis & Columellæ nomen impressoris legitur: post Palladium vero amplius: *Opera agricolationum: Columellæ: Varronis: Catonisque: nec non Palladii: cum excriptionibus. D. Philippi Beroaldi: & commentariis quæ in aliis impressionibus non exstant. Impressa Bonon. Impensis Benedicti hectoris bononiensis. MCCCCLXXXXIIII. XIII. calen. octob. Joane Bentivo II. reip. bono habenas fœliciter moderante.* Sequitur registrum plagarum & carmen duplex ad Lectorem & impressorem. — Exstat in bibl. Archipalatina Mannhemii, & Lipsiæ in bibl. Paulina. Consentit cum Jensoniana, sed est correctior; v. Gœtzii Memorab. Bibl. Dresd. P. II, p. 73.

1496 *Veneta* III, fol. Cato, Varro, Columella, Palladius. Et hæc est repetitio Jensonianæ. Habebat Fabricius.

———*Regii* II, fol. impensis Dionysii *Bertochi* Regiensis, imperante divo Hercule Esten. Cato, Varro, Columella, Palladius, ex Jensoniana recusi. Est Lipsiæ in bibliotheca Paulina. Fuit quoque in bibliotheca Boisiana n. 2837.

———*ibid.* fol. apud Franc. *Mazalum.* Cato, Varro, Columella, Palladius. Memoratur Gesnero ex literis Fabricii. Sed dubitatur de ea, uti & de superiori Veneta; vid. ad ed. seq.

———*Bononiæ* II, fol. per Benedictum (*Hectorem*) Columella, Varro, Cato, Palladius. Ex Catalogo Hulsiano T. I, p. 108. n. 1848. — *Quatuor igitur*, inquit Gesnerus, *si istæ omnes veræ sunt*, *quod vehementer mirer*, *editiones eodem anno in Italia factæ. Crucem tribus apposui*, (sc. Venetæ, Regiensi Franc. Mazali, & huic Bononiensi) *sine injuria*, *spero*, *commemorantium. Potest fieri*, *ut fucum fecerint bibliopolæ.* Gesneri sententiæ subscribit cl. Lengnich in Beytrægen zur Kenntniss seltener und merkwürdiger Bücher T. II, p. 62 sq. sed is, quod ad Bononiensem hanc, anni confusionem suspicatur, ab eo ortam, qui Catalogum bibliothecæ Hulsianæ confecerit, eandemque esse cum superiori Bononiensi an. 1494.

1498 *Regii*, fol. Cato, Varro, Columella, Palladius. apud Dionys. *Bertochium.* Ita Gesnerus ex literis Fabricii. Sed Bunemannus, Marchandius, & post eos Maittarius, ex bibliotheca Menars. bibliopolam citant Franc. *Mazalum.* Unde forte ex anni confusione, orta sit editio Regiensis 1496 apud eundem bibliopolam. Memoratur & in Cat. Philippeo, cum literis capitalibus depictis. vid. Lengnich l. c. p. 63. Textum habet Jensonianæ.

1499 *Regii* III, fol. impensis Francisci *Mazali*, imperante divo Hercule Esten. Cato, Varro, Columella, Palladius. Est in bibliotheca Dresdensi, & Academiæ Jenensis. Gesnerus eam tractavit, cui videbatur nihil differre nisi in sphalmatis a Bonon. 1494, adeoque & a Jensoniana.

1504 *Bononiæ* III, fol. Cato, Varro, Columella, Palladius. ap. Maittar. T. II, p. 168. Ea usus est La. Marsinus. Ad Jensonianam expressa.

1513 *Parisina* I, fol. apud *Ascensium.* Cato, Varro, Co-

lumella, Palladius. Schœttgenius negat ſe in ea quidquam diverſi ab ante editis obſervaſſe.

ſ. l. & a. 4. Columellæ de cultura hortorum Carmen. Subſcriptio: *Et ſic eſt finis, per me Jacobum de Breda.* Unde patet eſſe Daventriæ editum. Literæ ſunt Gothicæ. Habet Freytagius Conſul Numburgenſis. Conſentit plane cum ed. Jenſoni 1472, Bononienſi 1494, & Regienſibus 1496 & 1499.

ÆTAS II *ALDINA* 1513 — 1536.

qua textus cum Cod. Jucundi Veronenſis collatus in Aldina I, præivit ceteris fere omnibus: *Juntinis*, quas curavit Nic. *Angelius* 1515 & 1521; Pariſinis, novæ *Aſcenſii* 1529, illiſque 1533 & 1536; Baſilienſibus, Adami *Petri* 1521, & Jo. *Hervagii* 1535; & Lugdunenſi ſ. *Gryphianæ* I, 1535; Colonienſi Jo. *Gymnici* 1536. P. Vegetius de Mulo-Medic. primum editus eſt Baſil. 1528.

1513 *Veneta* IV, ſ. *Aldina* I, 8. in ædibus Aldi & Andreæ Soceri. Libri de re ruſtica, M. Catonis, M. Terentii Varronis, L. Junii Moderati Columellæ, Palladii. — In Columella quidem Librum de arboribus, antea Libris ad Silvinum inſertum, ad mentem Jucundi Veronenſis exemit Aldus, & in fine totius operis imprimendum curavit, & ordinis librorum novi rationem reddidit. Raram vero hanc editionem, de qua dubitabat Geſnerus, deſcribit Freytag Adpar. lit. P. II, p. 1336. Memoratur & in catalogo Hulſiano n. 4672.

1514 *ibid.* 8. apud eundem: Cato, Varro, Columella, Palladius. Hujus anni exempla non raro in bibliothecis reperiuntur.

—— *Aldina*, fol. min. Operum Varronis, (in iiſque de R. R.) cum Feſto & Nonio.

—— *Aldina*, 4. M. Catonis de re ruſtica.

—— *Aldina*, 4. Palladii de R. R.

1515 *Florentiæ*, ſ. *Juntina* I, *N. Angelii*, 8 mai. opera & impreſſa (*ſic ſcriptum*) Philippi *Juntæ*. Libri de re ruſtica (Cato, Varro, Columella, Palladius) a Nic. *Angelio* nuper maxima diligentia recogniti & typis excuſi, cum indice & expoſitione omnium dictio-

num. Additis nuper commentariis Junii Pomp. *Fortunati* in librum de cultu hortorum, cum adnotationibus Phil. *Beroaldi.*

1520 *Parisina* II, 8. apud *Ascensium.* Memoratur Fabricio in Bibl. Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. I, p. 33.

1521 *Basileensis* I, 8. apud Adamum *Petri. M. Terentii Varronis in omni literarum genere principis III de agricultura libri. M. Catonis Latinarum literarum* (*teste Plin.*) *parentis lib. I. de rebus rusticis. Habes praeterea Graecarum & priscarum dictionum enarrationem.* — In fine praefationis, cui subscripsit UL. HUG. nihil repetitu dignum est, praeter ista: *His duobus Adamus noster periculum facturus est, quam non defuturi sitis*, (Lectores) *industriae ejus, & ubi viderit, se operam & oleum non perdere, ex Graecis & Latinis alios rei rusticae scriptores pari exarabit diligentia. Nec solum post Aldum hos auctores imprimere conatur, ut omnes & minoris emere possint, sed ut emendatiores quoque posthac habeantur. Valete in Christo, & vivat in his studiis, qui dulcissimos soles voluerit experiri.* Addit Gesnerus: » Numquid igitur spes jam tum erat edendorum γεωπονικῶν Graecorum? Num hic *Adamus Petri* cognatione aliqua contingit Henricum Petri? Ceterum hic est ille ipse liber Meursianus, quem tanto semper opere commendat: sed quem nos ab Aldino rarissime abire deprehendimus. »

——— *Florentiae*, s. *Juntina* II, *N. Angelii*, 4, apud *Juntas.* Cato, Varro, Columella, Palladius. Habuit Pontedera. Nihil diversum habet a superiore Juntina, nisi adjuncta Codri scholia ad Palladium de insitione.

1528 s. l. 8. Cato, Varro, Columella, Palladius, ad exemplar Aldinum impressi, quod in fine dicitur. Gesnerus ea usus est. Nihil ab Aldinis diversum habet, nisi quod Codri ad Palladium de insitione scholia adjecta sunt e praecedente Juntina.

——— *Basileae*, 4. exc. Jo. Faber *Emmeus* Juliacensis. *Vegetii Renati artis veterinariae, sive mulomedicinae libri quatuor, jam primum typis in lucem editi. Opus sane in rebus medicis minime aspernandum.* — Haec est editio Vegetii princeps, facta ad MS. quod fuit Hermanni Comitis *Nuenarii*, praepositi primarii aedis Colo-

i 4

niensis, qui & ei præfatus est ad Ferdinandum Hungariæ & Bohemiæ regem. Fuit cum notis MSS. in bibl. Almeloveenii, teste Fabricio: item cum antiquissimo Corbejensi & optimæ notæ codice, literis uncialibus exarato (licet lacunis hinc inde deformato) collata in Gudiana.

1529 *Parisina*, *Ascensii* III, fol. venundantur Jodoco Badio *Ascensio*. Cato, Varro, Columella, Palladius. In hac ed. promittuntur in tituli pagina aversa etiam scholia Codri in Palladium de insitione, quæ in libro ipso non dantur. Sequitur alioquin fere sectam Aldi. Argumenta & quædam varietates notantur in margine: paucæ annotationes pagina proxima a Catonis initiis: præfationem habet Jucundi Veronensis, & eam, quam libro de Arboribus præfixit Aldus.

1533 *Parisina* IV, fol. apud Galeotum a Prato, in aula majore Regii Palatii, ad primam columnam: prelo Antonii *Augerelli*, impensis autem Joannis Parvi & Galeoti a Prato. Cato, Varro, Columella, Palladius. Fuit in bibliotheca Boisiana n. 2838. Est & Lipsiæ in Kæsiana, adscripta Gœsiani codicis varietate manu Jani Broukhusii. Videtur autem ex asse referre Ascensianam 1529, descripta etiam vana illa scholiorum Codri promissione. Sed margines hic vacui sunt.

——— *Venetiis*, *Aldina* II, 4. f. 8 mai. apud *Aldum*. Cato, Varro, Columella, Palladius. Repetitio Aldinæ prioris.

1534 *ibid.* apud eundem. 8. Cato, Varro, Columella, Palladius. Memoratur in Cat. Hulsian. n. 4079. sed Gesnerus non dubitat, quin sit eadem, quam modo laudavimus.

1535 *Basiliensis* II, 8 mai. f. 4. apud Jo. *Hervagium*. Cato, Varro, Columella, Palladius. Ad Aldinam expressa. v. Maittar. Ann. typ. T. II, p. 824. & Freytag. Adpar. liter. Vol. II, p. 1338.

——— *Lugduni*, 8. apud Sebast. *Gryphium*. Ejus fuit exemplar apud Gesnerum, uno volumine Catonem, Varronem, Palladium complexum: nec de altero tomo, qui Columellam cum Georg. Alexandrini & Beroaldi explicationibus & enarrationibus habere solet in Gryphianis & Stephanianis, dubitabat. Nondum hic fit mentio Victorii: neque quidquam præ-

fationis hic eſt vel adnotationis. Lectio etiam aperte ad ſectam ante Victorianam pertinet.

1536 *Coloniæ*, 8. apud Jo. *Gymnicum*. De re ruſtica M. Catonis L. I, M. Terentii Várronis Lib. III, Palladii L. XIV, L. Junii Moderati Columellæ Lib. XIII. Priſcarum vócum in Libris de re ruſtica enarrationes per Ge. Alexandrinum. Philippi Beroaldi in Lib. XIII Columellæ annott.

——— *Pariſina* V, 4. apud Jo. Lodoicum Tiletanum, e regione collegii Remenſis. Palladius. In fine ſcriptus annus cIↃIↃXXXIX. Repetitio textus Aldini. Præfationem non habet, ne Aldi quidem de horis Palladii epiſtolam : unde Geſnerus ſuſpicabatur eſſe partem totius corporis, quod edidiſſet idem typographus. Certe paginæ & quam *ſignaturam* vocant typographi, oſtendunt, ſuum ſibi opus integrum hoc voluiſſe typographos.

ÆTAS III *VICTORIANA*

1541 — 1585.

Petri *Victorii*, qui ſcriptorum R. R. ſoſpitator habetur, curas in conferendo cum antiquis Codd. & emendando Catone & Varrone maxime adhibitas, neque in Columella, qui emendationis opera haud æque eguiſſe videbatur, prorſus omiſſas, primum exhibet *Gryphiana* 1541, quæ & Palladium, a Victorio neglectum, habet. Caſtigationum ſuarum explicationes idem Victorius libello peculiari edidit, qui jungendus eſt Gryphianæ. Recudit hanc ed. *Stephanus* 1543. Sed & *Gryphiana* II *Victorii* apud ipſum Seb. Gryphium prodiit 1548 & ſq. *Varronis* Opera, in iiſque etiam de R. R. cum Victorii Caſtigg. edidit ter Henr. *Stephanus* 1569, 1573 & 1581.

1541 *Lugduni*, 8. apud *Gryphium*. 2 Voll. In primo ſunt Cato & Varro, qui in titulo dicuntur *per Petrum Victorium ad veterum exemplarium fidem ſuæ integritati reſtituti*. In altero Columella & Palladius. Eſt in bibliotheca Dreſdenſi. Præfixa præfatio Victorii, data Florentiæ XII Kal. Quintil. cIↃIↃXLI, & in peculiari pagina *Loci aliquot Columellæ ad vetuſtorum exemplarium collationem emendati*. Reſpondent paginæ

& verſus, qui hic laudantur, Columellæ etiam editioni Gryphianæ 1548. Hanc primam eſſe Victorii editionem, indicat dies epiſtolæ Victorii adſcriptus: niſi eodem tempore in Italia edidit.

1542 *Lugduni*, 8. apud *Gryphium*. Petri *Victorii* Explicatio ſuarum in Catonem, Varronem, Columellam caſtigationum ſeparatim edita.

1543 *Pariſina* Rob. *Stephani*, 8. *Libri de re ruſtica, M.* Catonis *Lib. I, M. Terentii* Varronis *Lib. III per Petrum* Victorium *ad veterum exemplarium fidem ſuæ integritati reſtituti. — Pariſiis ex officina Roberti Stephani typographi Regii* M. D. XLIII. (ſequitur epiſtola Petri Victorii Marcello Cervilo Cardinali inſcripta XII Kalend. Quintiles M. D. XLI. Florentiæ) In fine: *Excudebat Rob. Stephanus typographus regius Pariſiis. an. MDXLIII. XVI. Kal. Auguſti.*

——— *ibid.* eod. Palladii *Rutilii Tauri Æmiliani Viri illuſtris, de Re Ruſtica* Libri XIV. ex offic. Rob. Steph. typ. reg.

——— *ibid.* eod. *L. Junii Moderati* Columellæ *de re ruſtica Libri XII. Ejuſdem de Arboribus liber ſeparatus ab aliis, ex off. R. Steph. typ. reg.* — Poſt indicem in Colum. & locos aliquot Columellæ ad vetuſtiorum exemplarium fidem collatos, legitur in fine: *Excudebat Robert. Stephanus typographus regius. Pariſiis, an. MDXLIII. XI Kal. Septembris.*

——— *ibid.* eod. P. *Victorii* explicatio in Catonem, Varronem & Columellam. Ge. Alexandrini expl. priſcarum vocum in libris de re ruſtica. Beroaldus in Columellam. Aldus in Palladium. (Eſt mera repetitio ed. Victorii Gryphianæ 1541 ſq.)

——— *Pariſiis*, 4. Columellæ hortus, cum interpretatione Julii *Pomponii* Fortunati, cui acceſſerunt annotationes Bapt. *Pii*, Phil. *Beroaldi*, & cuiuſdam viri doctiſſimi. Pariſ. M. de *Guierche*. cf. Cat. bibl. Bunav. T. I, vol. 1, p. 334.

——— *Francofurti*, 4. Columella, cum Nicolai Bartholomæi carmine de cultu hortorum, & Georgii Vercellani, Annibalis Crucei Mopſo & Carpo Hieron. Fracaſtorii.

ſ. a. *Argentorati*, 8. Columella, cum Cæna Baptiſtæ *Fieræ*

de herbarum virtutibus. Exſtat Lipſiæ in bibliotheca Paulina.

1548 & 1549 *Lugduni*, 8. apud Seb. *Gryphium.* Columella de re ruſtica & de arboribus, 1548.

——— *ibid.* ap. eundem. M. Catonis ac M. Terent. Varronis de re ruſtica libri, per Petrum *Victorium* ad veterum exemplarium fidem ſuæ integritati reſtituti, 1549.

——— *ibid.* 8. ap. eund. Palladius de Re Ruſtica, 1549.

——— *ibid.* Enarrationes vocum priſcarum in libris de R. R. per *Ge. Alexandrinum.* Phil. *Beroaldi* in Colum. Annott. *Aldus* de dierum generibus, umbris, horis ap. Palladium, 1549.

Huic editioni adjungendæ fuere P. *Victorii* explicationes ſuarum in Cat. Varr. Colum. caſtigationum ap. Gryphium 1542 jam ſeparatim editæ. Sic certe una leguntur in Catal. Bibl. Schwarzianæ inter edd. Gryph.

1549 *Pariſiis*, 4. apud *Morellium.* Columella. Memoratur Maittario.

1569 *Henr. Stephani* I, ſ. n. l. M. Terentii Varronis opera quæ ſuperſunt. In libros de L. L. conjectanea Joſephi *Scaligeri* recognita & appendice aucta. In libros de R. R. notæ ejuſdem Joſ. Scal. non antea editæ. His adjuncti fuerunt Adr. *Turnebi* comment. in lib. de L. L. cum emendationibus Ant. *Auguſtini*, item P. *Victorii* caſtigationes in libr. de R. R.

1573 *H. Stephani* II, Operum Varronis, 8.

1574 *Baſileæ*, 4. per Petr. *Pernam.* Publii *Vegetii* mulomedicina, per Joannem *Sambucum.*

1576 *Baſileæ*, 8. Cato & Varro: adjuncti methodo ruſticæ Catonis atque Varronis præceptis aphoriſticis per locos communes digeſtis a Theod. *Zuingero* typice delineatæ & illuſtratæ. Is vero Catonem dedit ex recenſione Victoriana, ex Scaligeriana Varronem.

1577 *Noribergæ*, 4. Rei ruſticæ opuſcula nonnulla per Jo. J. F. *Camerarium.* — Ex catalogo bibl. Menken. T. I, p. 190. citatur cl. Theoph. Chriſtoph. Harles Introduct. in Notit. literaturæ Romanæ P. II, p. 173.

1581 H. *Stephani* III. M. Ter. Varronis opera quæ ſuperſunt. In lib. de ling. Lat. Conjectanea Joſephi *Scaligeri.* In lib. de re ruſt. Notæ ejuſdem. Alia in eundem ſcriptorem, trium aliorum, *Turn. Vict. Auguſt.* Editio tertia, recognita & aucta. Cum H. Stephani

appendice Varronis assertionum analogiae sermonis lat. & J. C. Scaligeri diss. de eadem. — Turnebi notæ sunt ex Adversariorum opere excerptæ.

1585 *Parisiis*, 8. Varro, cum reliquis libris & fragm. Ex Jo. Alb. Fabricii Bibl. Lat.

ÆTAS IV 1587 — 1735

quam *Commelinianam* vocare liceat, quod post Ursini notas ad Scriptt. rusticos 1587 editas & Aus. Popmæ Catonem Plantinianum Hier. Commelinus, cum Frid. Sylburgio, rei rusticæ auctores denuo cum vett. editionibus collatos, inprimis Palladium ex membranis emendatiorem, 1595 dederit cum Indd. tribus a Sylburgio confectis. Dolendum vero, quod Commelinus operi immortuus est, neque sic animadversiones promissæ prodiere. Atque hæc collectio per CXL annos progeniem haud tulit; sed singulorum scriptorum, Catonis & Varronis Opera tantum suos curatores invenere, in quibus Cato Popmæ — Meursianus 1598 & 1620; itemque Varro Popmæanus, 1601, & Dordracenus Scaligeri 1619, quinque post annis recusus Amstelod. præstant. Ab eo tempore jacuere hæc studia usque ad an. 1735, quo ea reparare cœpit Jo. Matth. *Gesnerus*.

1587 *Romæ*, 8. Fulvii *Ursini* notæ ad Catonem, Varronem, Columellam, Kalendarium Rusticum Farnesianum, & veteres Inscriptt. fratrum Arvalium.

1590 *Lugd. Bat.* 8. ex officina *Plantiniana*. Cato, cum fragmentis aliorum librorum. cum notis Ausonii *Popmæ*.

1595 *Heidelbergæ*, 8. ex Hieron. *Commelini* typographio. Rei rusticæ auctores latini veteres, M. Cato, M. Varro, L. Columella, Palladius. Priores tres e vetustissimis editionibus: quartus e veteribus membranis aliquammultis in locis emendatiores: cum tribus indicibus, capitum, auctorum & rerum ac verborum memorabilium. Criticorum & expositorum in eosdem atque Geoponicos græcos notationes seorsum dabuntur. — Frid. Sylburgius confecit indices. Commelinus vero fatis interceptus nec Geoponicos edere potuit, nec animadversiones promissas.

1598 *Lugduni Bat.* 8. Cato, cum notis Jo. *Meursii:* qui centum amplius locis auctum, ex Basileensi maxime & Commeliniana editione, correctumque se dare profitetur. Sed Meursii hæc editio libri Catonis non nova est, sed eadem cum illa Popmæ 1590, nisi quod nova libro frons, novusque titulus præfixus, Meursiique præfatio & notæ accesserunt.

1601 *Lugd. Bat.* 8. ex officina Plantiniana, apud Christoph. *Raphelengium.* M. Ter. Varronis opera quæ exstant, nova editio. Edente & recensente Ausonio *Popma*, Frisio. Ejusdem Ausonii in eadem notæ & conjectanea. — Hæc editio est rara quidem, suasque habet virtutes; at nec accurata censetur nec egregia. Insuper quæ bona, præcipue in libr. de R. R. attulit Popma, ea surripuisse arguitur Ursino & Scaligero, & notæ Popmæ sunt a librariis mirifice corruptæ. Adjecit fragmenta Varronis e variis libris deperditis collecta, notisque illustrata; & in bibliotheca, quæ vocatur, Varroniana de scriptis disseritur Varronis tam editis, quam vetustate temporisque iniquitate absumtis. cf. Gesneri præf. ad Scriptt. R. R. § 5, & Freytag in Adpar. lit. T. III, p. 50 sqq.

1602 *Genevæ*, 4. Varro de R. R. Ex Hauptmanni Not.

1619 *Dordraci*, 8. ex offic. Jo. *Brerewout.* M. Ter. Varronis opera omnia, quæ exstant. Cum notis Josephi *Scaligeri*, Adriani *Turnebi*, Petri *Victorii*, & Antonii *Augustini.* His accedunt Tabulæ naufragii, seu Fragmenta ejusdem auctiora & meliora, additis ad singula loca auctorum nominibus unde hæc petita sunt. — Convenit cum Stephanianis, teste Gesnero, nisi quod passim habet varias lectiones in margine.

1620 *Franequeræ*, 8. exc. Jo. *Lamrinck.* M. Porcii Catonis de re rustica liber. Fragmenta quæ supersunt. Ausonius *Popma* iterum recensuit, & notas addidit. Accesserunt Jo. Meursii ad librum de re rustica notæ. Ausonii Popmæ de instrumento fundi liber. Pro bibliopolio Commeliniano. Sumtibus Jo. Commelini viduæ. Repetitio ed. Plantin. 1598.

1623 *Amstelodami*, 8. apud Jo. *Jansonium.* M. Ter. Varronis opera &c. Repetitio Dordracenæ 1619.

(* ad an. 1629 Calat. Bibl. Menarsianæ mendose refert Cat. Varr. Colum. Pall. Parisiis fol. editos, monen-

te Fabricio, cum ad an. 1529 referenda sit hæc illorum editio. Simile mendum esse videtur in Catal. Bibl. Hulsianæ, qui Scriptt. R. R. 1535 Basil. 4 edit. adscribit an. 1635.)

1655 *Lipsiæ*, 8. As veterum nonnullorum, ut & mediæ vergentisque ætatis scriptorum fere metricorum & medicorum, de re herbaria videlicet. 1. L. Jun. Moderati Columellæ cultus hort. 2. Palladii Rutilii Tauri Æmiliani de insitione: cum aliorum villaticis carm. 3. Walafridi Strabi Germani Hortulus: cum Auli Septimii Sereni Moreto. 4. Macri de viribus herbarum cum appendice. 5. Incerti scriptoris Græci de facultatibus plantarum quarundam Epos cum prosa. 6. Thessali mysterium ad Hermen, de XII herbis per XII signa zodiaci & de VII aliis secundum VII planetas. 7. Alexandri Imp. de VII herbarum virtutibus quas percipiant ab influentia planetarum. 8. Jo. Mediolanensis schola Salernit. 9. Thesaurus pauperum methodici Barb. 10. Apuleji de nominibus & medicaminibus herbar. 11. Antonii Musæ de Betonica. 12. Vestii Valentis Antiochei de Planetar. naturis, & quibus præsint in regno minerali, vegetabili & animali. Qui junctim nunc ita compacti, ut invicem conferri, emaculari, illustrari & enarrari valeant, præmissa simul de auctoribus ipsis præfatione & subjuncto indice herbarum macti ab An. *Rivino*, Phil. & Med. D. ac P. P. Lipsiæ, ubi prostant, in Bibliopolio Ellingeriano. Æra Christi ∞ IↃCLV. In fine auctor: *Cum auctores præmissi omnes & singuli ex antea editis recusi sint, itaque prout ibi jacebant, fere fuerant relicti; neque nævi ipsi, qui plerisque adhærebant, ubique sublati, nec ipsa adeo sphalmata typographica, quorum correctionem B. Lectori commendamus, reliqua animadversionibus nostris reservantes.* Has vero animadversiones nunquam prodiisse credibile est. Certe nec volam nec vestigium earum uspiam reperit Gesnerus.

1730 *Halæ Magdeburg*. 12. apud Jo. Ern. *Fritschium*. M. Ter. Varronis libri tres de re rustica, wegen ihrer Vortreflichkeit, Nuzbarkeit und Seltenheit, von neuem mit Fleis übersehen, bedæchtlich ausgebessert, in Paragraphos abgetheilt, mit lateinischen

und teutſchen Summarien wie auch teutſchen Noten verſehen &c. und mit einer Vorrede von des Auctoris Leben, von ſeinem und ſeiner Schriften Character, ingleichen mit einem doppelten Regiſter begleitet.

1735 *Erfordiæ*, 8. Syntagma de rebus ruſticis & œconomicis ex mandato Erneſti Auguſti Ducis Saxo Vinarienſis &c. e potioribus rei ruſticæ æque ac aliis ſcriptoribus, perpetuum in uſum Gymn. Vinarienſis conſcriptum, & cum Indice quadripartito editum a Wolfg. Adolpho *Schrœnio* ill. Gymn. Vinar. Subconrectore. — Chreſtomathico huic operi ſucceſſit ſtatim jucundior ipſorum ſcriptorum reparatio.

ÆTAS V *GESNERIANA*

1735 — 1787

cujus princeps prodiit 1735; ſed auctior curis J. Aug. Erneſtii 1774, quæ duas filias peperit, alteram Mannhemenſem, alteram hanc Bipontinam, credimus, ornatiorem.

1735 *Lipſiæ*, 4. 2 voll. ſumtibus Caſp. *Fritſch.* Scriptores rei ruſticæ veteres Latini, M. Porcius Cato, M. Ter. Varro, L. Jun. Moderatus Columella, Palladius Rutilius Taurus Æmilianus. Quibus nunc accedit Vegetius de mulomedicina, & Gargilii Martialis Fragmentum, cum editionibus prope omnibus & MSS. pluribus collati. Adjectæ notæ virorum clariſſ. integræ, tum editæ, tum non editæ, & Lexicon rei ruſticæ. Curante Jo. Matth. *Geſnero.* — Præter virorum doctorum notas jam editas, hæc editio continet ineditas Schœttgenii, & Pontederæ ad Geſnerum ab ipſo miſſas; denique & ipſius Geſneri, qui & ſuis notis & Lexico egregio rei ruſticæ & latinitatis ruſticorum Scriptorum optime de Ruſticis meritus eſt. Ad calcem ſunt Auſon. Popmæ liber de Inſtrumento Fundi, & Jo. Bapt. Morgagni Epiſtolæ ad Auctores rei ruſticæ. Hæc editio reprehenſiones experta eſt Jul. Pontederæ in Antiq. gr. & lat. enarrationibus & emendationibus, inprimis Epiſt. XLIII, quibus reſpondit Geſnerus in præfatione ad Lucia-

num; item alius viri docti in Obſ. Miſc. Dorvillianis T. VII, p. 274 - 286. cui reſpondit in præf. ed. Plin. Epp.

1743 *Schleizæ*, 8. Catonis de re ruſtica liber, cura Jo. Chriſtoph. *Haynisch.*

1773 & 1774 *Lipſiæ*, 4. *Geſneri* II, 2 voll. ſumtibus eiuſdem Caſpari *Fritſch.* Titulus idem, qui legitur in ſuperiori. — Hæc editio paſſim locupletata eſt beneficio cl. Jo. Aug. Erneſti, qui ei etiam præfatus eſt. Is præter alia, quamquam haud admodum multa, ornamenta addidit Columellæ variantes lectiones ex codice Pariſienſi in monaſterio S. Germani, & Palladio varr. lectt. ex exemplo antiquo manu ſcripto, quod exſtat Erfurti in Collegii Amploniani bibliotheca, a J. F. Herelio miſſas; tum Pontederæ epiſtolas contractas, & J. A. de Segner deſcriptionem Ornithonis Varroniani; textum denique liberavit ab operarum vitiis, quæ in ed. priorem irrepſerant.

1781 *Mannhemii*, 12. V voll. cura & ſumptibus ſocietatis literatæ. Scriptores rei ruſticæ veteres Latini, Cato, Varro, Columella, Palladius, quibus nunc accedit Vegetius de Mulomedicina, & Gargilii Martialis fragmentum, curante Jo. Matth. Geſnero.

VERSIONES.

VARRONIS.

GERMANICA.

1774 M. Terentius Varro von der Landwirthschaft, mit Anmerkungen von Joh. Friedr. *Meyer*. Nürnberg, 8.
1781 Eadem repetita ibid. 8.

COLUMELLÆ.

ITALICA.

1554 *Venetiis*, 8. Petro *Lauro* Mutinensi interprete. Memoratur Fabricio.
1564 Eadem ibid. 8.

GALLICA.

1551 Les douze livres de Lucius Junius Moderatus Columella des choses rustiques, traduits par Claude *Cotereau* Chanoine de Paris. à Paris, imprimés par Guil. Morel. 4. Exstat Halæ in bibliotheca publica, teste Gesnero. Fabricius habet annum 1555.
1556 — revues & corrigés par Jean Thierry *de Beauvais*, & imprimés à Paris chés Keruer. 4.

ANGLICA.

1745 *Londini*, 4 ab Anonymo versum Columellam cum notis prodiisse discimus ex comm. rerum in orbe literario gestarum Lipsiensibus germ. edi solitis an. 1745, partic. LV.

GERMANICÆ.

1538 Das Ackerwerk Lucii Columellæ und Palladii, verteutſcht durch Mich. *Herren.* Strasburg, fol. Fuit in in bibl. Rivin. n. 1356. & inter libros in bibliotheca Gœttingenſi in duplo exſtantes, & 1784 divenditos, n. 3305.

1612 Agricultur oder Acker-Bau der beiden hocherfahrnen Rœmer L. Columellæ & Palladii &c. frommen Haûſsvætern und Hauſsmüttern zu ſonderlicher Nachrichtung &c. durch Theod. *Majum.* Magdeburg, fol. — In præfatione reprehendit ſuperiorem ut obſoletam & obſcuram. Fuit in bibl. Rivin. n. 1357. & inter libros ex bibl. Gœttingenſi 1784 divenditos, n. 3306.

1613 f. quam Fabricius laudat & Catal. Kæſianus, credo, eadem eſt, itemque ea, cui typorum, ut ſuſpicor, culpa adſcriptus eſt apud Fabricium an. 1621. Hæc Geſnerus.

1769 L. J. M. Columella zwœlf Bücher von der Landwirthſchaft, ins deutſche überſezt, und mit Anmerkungen verſehen von Michael Conrad *Curtius*, Profeſſor zu Marburg. Hamburg und Bremen, bey Cramer. 8.

PALLADII.

ITALICÆ.

1528 *Venetiis*, 4. Petri *Marini.*

1560 *ibid.* 4. *Sanſovini.*

Italica Palladii verſio perantiqua, calamo exarata, & ab homine Florentino ſcripta commemoratur a Morgag. Epiſt. II, 12 & 13. Add. Julium Nigrum pag. 539 Hiſtoriæ ſcriptorum Florentinorum.

GALLICA.

1553 *Pariſiis*, 8. auctore Jo. *Darcio.* Memoratur Fabricio ex Crucimanii Bibl. Gall. p. 491, & Catalogo Bibl. Bigotianæ p. 138. Sed Maittarius aſſignat an.

1554 — & officinæ Vaſcoſani tribuit. Darcium dicit Aumonier du Card. de Tournon.

GERMANICÆ.

In Columella commemoratæ.

VEGETII.

ITALICA.

1543 *Venetiis*, 8. cum Hippiatricis Græcis, in eandem linguam verſis, & Laur. Ruſii libro ejuſdem argumenti.

GALLICÆ.

——— Gallice vertit Carolus *Stephanus*, teſte Crucimanio apud Fabricium.

1563 *Pariſiis*, 4. Bernardus *Podius* (du Poy Monclar) Lucenſis in Bearnio. Memoratur eidem Fabricio ex Ant. Verderii Bibliotheca Gallica p. 117.

GERMANICÆ.

1565 *Francofurti*, 4. Vegetii Thier - Arzneykunſt. — Lipſiæ in Bibliotheca Kæſiana.

1665 *ibid.* Arzneybuch de Thiere. — In Catalogo ejuſdem Bibliothecæ.

INDEX AUCTORUM

IN REI RUSTICÆ SCRIPTORIBUS

LAUDATORUM.

Quorum nomina literis majuſculis excudenda curavimus, eos dedita opera argumentum ruſticum tractaſſe indicare volumus.

A

D

E

L

M

M. PORCIUS CATO

DE

RE RUSTICA.

CAPITA REI RUSTICÆ

EX RHEGIENSI EDITIONE

ANNI CIↃ CCCC LXXXII

M. P. CATONIS.

M. PORCIUS CATO
DE
RE RUSTICA.

Est interdum præſtare mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet; & item fœnerari, ſi tam honeſtum ſiet. Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſiverunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem exiſtimarint fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimari. Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam, bonumque colonum. Ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem ſtrenuum ſtudioſumque rei quærendæ exiſtimo; verum, ut ſupra dixi, periculoſum & calamitoſum. At ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur, maximeque pius quæſtus, ſtabiliſſimuſque conſequitur, minimeque invidioſus: minimeque male cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupati ſunt. Nunc, ut ad rem redeam, quod promiſi inſtitutum principium hoc erit.

I. Prædium cum parare cogitabis, ſic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve opera tua parcas viſere, & ne ſatis babeas ſemel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit. Vi-

cini quo pacto niteant, id animum advertito: in bona regione bene nitere oportebit: & uti eo cum introeas, circumspicias, uti inde exiri possit: uti bonum cœlum habeat, ne calamitosum siet. Solo bono, sua virtute valeat. Si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri, operariorum copia siet, bonumque aquarium, oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulant, aut via bona, celebrisque. Siet in iis agris, qui non sæpe dominos mutant: qui in his agris prædia vendiderint, quos pigeat vendidisse: uti bene ædificatum siet. Caveto alienam disciplinam temere contemnas. De domino bono colono, bonoque ædificatore melius emetur. Ad villam cum venies, videto, vasa torcula & dolia multa ne sient. Ubi non erunt, scito pro ratione fructuum esse. Instrumenti ne magni siet, loco bono siet. Videto, quam minimi instrumenti, sumtuosusque ager ne siet. Scito idem agrum quod hominem, quamvis quæstuosus siet, si sumtuosus erit, relinqui non multum. Prædium quod primum siet, si me rogabis, sic dicam. De omnibus agris, optimoque loco si emeris jugera agri centum, vinea est prima, si vino multo siet; secundo loco hortus irriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum, sexto campus frumentarius, septimo silva cædua, octavo arbustum, nono glandaria silva.

II. Paterfamilias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die, si potest, circumeat: si non eo die, at postridie. ubi cognovit, quomodo fundus cultus siet, operaque quæ fa-

cta infectaque fient, postridie ejus diei vilicum vocet, roget, quid operis fiet factum, quid restet, satisne tempori opera fient confecta, possitne quæ reliqua fient conficere: & quid factum vini, frumenti, aliarumque rerum omnium. Ubi ea cognovit, rationem inire oportet operarum, dierum. Si ei opus non apparet, dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixerit; ad rationem operum operarumque vilicum revoca. Cum tempestates pluviæ fuerint, videto, quot dies, quæve opera per imbrem fieri potuerint, dolia lavari, picari, villam purgari, frumentum transferri, stercus foras efferri, sterquilinium fieri, semen purgari, funes veteres sarciri, novosque fieri: centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire. Per ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, mundicias fieri. Cum servi ægrotarint, cibaria tanta dari non oportuisse. Ubi hæc cognita æquo animo fient, quæve reliqua opera fient, curare uti perficiantur: rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli causa quæ parata sunt; rationem vinariam, oleariam, quid venierit, quid exactum fiet, quid reliquum fiet, quid fiet quod veneat; quæ satis accipiunda fient, satis accipiantur. Reliqua quæ fient, ut compareant. Si quid desit in annum, uti paretur. quæ supersint, uti veneant: quæ opus fient locato, locentur: quæ opera fieri velit, & quæ locare

velit, uti imperet, & ea ſcripta relinquat: pecus conſideret. Auctionem uti faciat. Vendat oleum, ſi pretium habeat, vinum frumentumque, quod ſuperſit. Vendat boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, lanam, pelles, ploſtrum vetus, ferramenta vetera, ſervum ſenem, ſervum morboſum, & ſi quid aliud ſuperſit, vendat. Patrem familias vendacem, non emacem eſſe oportet.

III. Prima adoleſcentia patrem familiæ agrum conſerere ſtudere oportet, ædificare diu cogitare oportet; conſerere cogitare non oportet, ſed facere oportet. ubi ætas acceſſit ad annos XXXVI, tum ædificare oportet, ſi agrum conſitum habeas. Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam. Patrem familiæ villam ruſticam bene ædificatam habere expedit, cellam oleariam, vinariam, dolia multa, uti lubeat caritatem exſpectare, & rei, & virtuti, & gloriæ erit. Torcularia bona habere oportet, ut opus bene effici poſſit. Olea ubi lecta fiet, oleum fiat continuo, ne corrumpatur. Cogitato quotannis tempeſtates magnas venire, & oleam dejicere ſolere. Si cito ſuſtuleris, & vaſa parata erunt, damni nihil erit ex tempeſtate, & oleum viridius & melius fiet. Si in terra & tabulato olea nimium diu erit, puteſcet, oleum fœtidum fiet. ex quavis olea oleum viridius & bonum fieri poteſt, ſi tempori facies. In jugera oleti CXX vaſa bina eſſe oportet. Si oletum bonum, beneque frequens, cultumque erit, trapetos bonos, privos, impares eſſe oportet: ſi orbes contriti fient, ut commutare poſſis, funes loreos privos, vectes ſenos, fibulas duo-

denas, medipontos privos loreos, trochleas Græcanicas binas, quæ funibus ſparteis ducantur. Orbiculis ſuperioribus oćtonis, inferioribus ſenis citius duces. Si rotas voles facere, tardius ducentur, ſed minore labore.

IV. Bubilia bona, bonas præſepis, faliſcas clatratas. Clatros intereſſe oportet pede. Si ita feceris, pabulum boves non ejicient. Villam urbanam pro copia ædificato. In bono prædio ſi bene ædificaveris, beneque poſiveris: ruri ſi rećte habitaveris, libentius & ſæpius venies, fundus melios erit, minus peccabitur, frućti plus capies. Frons occipitio prior eſt. Vicinis bonus eſto. Familiam ne ſiveris peccare. Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces. Si ædificabis, operis, jumentis, materia adjuvabunt. Si quid (bona ſalute) uſus venerit, benigne defendent.

V. Hæc erunt vilici officia. Diſciplina bona utatur. Feriæ ſerventur. Alieno manum abſtineat. Sua ſervet diligenter. Litibus familiæ ſuperſedeat. Si quis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. Familiæ male ne ſit, ne algeat, ne eſuriat, opere bene exerceat, facilius malo & alieno prohibebit. Vilicus ſi nolet male facere, non faciet. Si paſſus erit, dominus impune ne ſinat eſſe. Pro beneficio gratiam referat, ut aliis rećte facere libeat. Vilicus ne ſit ambulator, ſobrius ſiet ſemper, ad cœnam ne quo eat. Familiam exerceat: conſideret, quæ dominus imperaverit, fiant. Ne plus çenſeat ſapere ſe, quam dominum. Amicos domini, eos habeat ſibi

amicos. Cui juſſus ſiet, auſcultet. Rem divinam, niſi compitalibus in compito, aut in foco ne faciat. Injuſſu domini credat nemini. Quod dominus crediderit, exigat. Satui ſemen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini. Duas aut tres familias habeat, unde utenda roget, & quibus det: præterea nemini. Rationem cum domino crebro putet. Operarium, mercenarium, politorem diutius eundem ne habeat die. Ne quid emiſſe velit inſciente domino, neu quid dominum celaviſſe velit. Paraſitum ne quem habeat. Haruſpicem, augurem, hariolum, Chaldæum ne quem conſuluiſſe velit. Segetem ne defrudet: nam id infelix eſt. Opus ruſticum omne curet, uti ſciat facere, & id faciat ſæpe, dum ne laſſus fiat. Si fecerit, ſcibit in mente familiæ quid ſiet, & illi animo æquiore facient. ſi hoc faciet, minus libebit ambulare, & valebit rectius, & dormibit libentius. Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat. prius villam videat, clauſa uti ſiet, & uti ſuo quiſque loco cubet, & uti jumenta pabulum habeant. Boves maxima diligentia curatos habeto. bubulcis obſequitor, partim quo libentius boves curent. Aratra vomereſque facito uti bonos habeas. Terram carioſam caveto ne ares, neve ploſtrum, neve pecus impellas. Si ita non caveris, quo impuleris, triennii fructum amittes. Pecori & bubus diligenter ſubſternatur; ungulæ curentur. Scabiem pecori & jumentis caveto. id ex fame, & ſi impluit, fieri ſolet. Opera omnia mature conficias face. nam res ruſtica ſic eſt, ſi unam rem ſero feceris, omnia opera ſero facies. Stramenta ſi

deerunt, frondem iligneam legito, eam ſubſternito ovibus bubuſque. Sterquilinium magnum ſtude ut habeas. Stercus ſedulo conſerva, cum exportabis ſpargito & comminuito. Per auctumnum evehito. Circum oleas auctumnitate ablaqueato, & ſtercus addito. Frondem populneam, ulmeam, querneam cædito, per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus. Item fœnum cordum, ſicilimenta de prato, ea arida condito. Poſt imbrem auctumni rapinam, pabulum, lupinumque ſerito.

VI. Agrum quibus locis conſeras, ſic obſervari oportet. Ubi ager craſſus, & lætus eſt ſine arboribus, eum agrum frumentarium eſſe oportet. Idem ager ſi nebuloſus eſt, rapa, raphanos, milium, panicum id maxime ſeri oportet. In agro craſſo & caldo oleam conditivam, radium majorem, Salentinam, orchitem, poſeam, Sergianam colminianam, albicerem. Quam earum in his locis optimam dicent eſſe, eam maxime ſerito. Hoc genus oleæ in XXV aut in XXX pedes conſerito. Ager oleto conſerundo, qui in ventum Favonium ſpectabit, & ſoli oſtentus erit, alius bonus nullus erit. Qui ager frigidior & macrior erit, ibi oleam Licinianam ſeri oportet. Sin in loco craſſo aut caldo ſeveris, hoſtus nequam erit, & ſerundo arbor peribit, & muſcus ruber moleſtus erit. Circum coronas & circum vias ulmos ſerito, & partim populos, uti frondem ovibus & bubus habeas, & materia, ſi quæ opus ſit, parata erit. Sicubi in his locis ripæ, aut locus humectus erit, ibi cacumina populorum ſerito & arundinetum. Id hoc modo ſerito: bipalio vortito,

ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. Ibi corrudam ſerito, unde aſparagi fiant. (Nam convenit arundinetum cum corruda, eo quia foditur, & incenditur, & umbram per tempus habet.) Salicem Græcam circum arundinetum ſerito, uti ſiet qui vineam alliges. Vineam quo in agro conſeri oportet, ſic obſervato. Qui locus vino optimus dicetur eſſe, & oſtentus ſoli, ibi Aminnæum minuſculum, & geminum eugeneum, helveolum minuſculum conſerito. Qui locus craſſus erit, aut nebuloſior, ibi Aminnæum majus, aut Murgentinum, Apicium, Lucanum ſerito. Ceteræ vites, miſcellæ maxime, in quemvis agrum conveniunt.

VII. Fundum ſuburbanum arbuſtum maxime convenit habere, & ligna & virgæ venire poſſunt, & domino erit, qui utatur. In eodem fundo ſuum quidquid conſeri oportet, arbuſtoque vitem copulari. Aminnæum minuſculum, & majuſculum, & Apicium. Hæc in ollis, ollæ in vinaceis conduntur, eadem in ſapa, in muſto, in lora recte conduntur, quas ſuſpendas duracinas, Aminnæas majores, vel ad fabrum ferrarium pro paſſis eæ recte ſervantur. Poma, mala ſtruthea, cotonea ſcantiana, Quiriniana, item alia conditiva mala muſtea & Punica. eo lotium ſuillum aut ſtercus ad radicem addere oportet, uti ſtabilia mala fiant. Pira volema, Aniciana & ſementiva, (hæc conditiva in ſapa bona erunt,) Tarentina, muſtea, & cucurbitina. Item alia genera quamplurima ſerito, aut inſerito, oleas orchites, poſias, eæ optimæ conduntur vel virides in muria, vel in lentiſco contuſæ.

Orchites ubi nigræ erunt & ſiccæ, ſale confricato dies V. poſtea ſalem excutito, in ſolem ponito biduum, vel ſine ſale in defrutum condito. Sorba in ſapa cum vis condere, vel ſiccare, arida facias, item pira eodem modo facias.

VIII. Ficos mariſcas in loco cretoſo & aperto ſerito, Africanas, & Herculanas, Saguntinas, hibernas, Telanas atras pediculo longo, eas in loco craſſo, aut ſtercorato ſerito. Pratum ſi irriguum habebis, fœnum non deficiet. *ſi non erit, ſiccum, ne fœnum deſiet, ſummittito. Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus, bulbos megaricos, murtum conjugulum & album & nigrum, laurum Delphicam, & Cypricam, & ſilvaticam, nuces calvas, avellanas Præneſtinas, & Græcas, hæc facito uti ferantur. Fundum urbanum, & qui eum fundum ſolum habebit, ita paret, itaque conſerat, uti quam ſollertiſſimum habeat.

IX. Salicta locis aquoſis, humectis, umbroſis, propter amnes ibi ſeri oportet. Et id videto, uti aut domum opus ſient, aut ut venire poſſint. Prata irrigua, ſi aquam habebis, potiſſimum facito: ſi aquam non habebis, ſicca quam plurima facito. Hoc eſt prædium, quod, ubi vis, expedit facere.

X. Olivetum agri CCXL. jugerum. vilicum, vilicam, operarios V. bubulcos III. ſubulcum I. aſinarium I. opilionem I. Summa hominum XIII. boves trinos, aſinos ornatos clitellarios, qui ſtercus vectent, III. aſinum unum, oves C. vaſa olearia inſtructa juga V. ahenum, quod capiat quadrantalia XXX. operculum aheni, uncos ferreos III. urceos

aquarios III. infidibula II. ahenum, quod capiat quadrantalia V. aheni operculum, uncos III. labellum polulum, amphoras olearias II. urnam quinquagenariam unam, trullas III. ſitulum aquarium unum, pelvim unam, matellionem, trullium, ſcutriſcum, matellam, naſſiternam, candelabrum, ſextarium, ploſtra majora III. aratra cum vomeribus VI. juga cum loris ornata III. ornamenta bubus VI. urpicem unum, crates ſtercorarias IV. ſirpeas ſtercorarias III. ſemuncias III. inſtrata aſinis III. ferramenta, ferreas VIII. ſarcula VIII. palas IV. rutra V. raſtros quadridentes II. falces fœnarias III. ſtramentarias VI. arborarias V. ſecures III. cuneos III. fiſtulam farrariam I. forpicis II. rutabulum I. foculos II. dolia olearia C. labra XII. dolia, quo vinaceos condat, X. amurcaria X. vinaria X. frumentaria XX. labrum lupinarium unum, ſerias VI. labrum eluacrum unum, ſolium unum, labra aquaria II. opercula doliis, ſeriis priva plura, molas aſinarias unas, & truſatiles unas, hiſpanienſes unas, molilia III. abacum I. orbes aheneos II. menſas II. ſcamna magna III. ſcamnum in cubiculo unum, ſcabilla III. ſellas IV. ſolia II. Lectum in cubiculo I. lectos loris ſubtentos IV. & lectos tres, pilam ligneam unam, fullonicam unam, telam jogalem unam, pilas duas, pilum fabarium unum, farrearium unum, ſeminarium unum, qui nucleos ſuccernat unum, modium unum, ſemodium unum, culcitas VIII. inſtragula VIII. pulvinos XVI. operimenta X. mappas III. centones pueris VI.

XI. Vinea C. jugerum vilicum, vilicam, operarios X. bubulcum I. aſinarium I. ſalictarium I. ſu-

bulcum I. Summa homines XVI. boves II. asinos plostrarios II. asinum molarium I. vasa torcula instructa III. dolia, ubi quinque vindemiæ esse possint, culleum DCCC. dolia, ubi vinaceos condat, XX. frumentaria XX. opercula doliorum, & tectoria priva. Urnas sparteas VI. amphoras sparteas IV. infidibula II. cola vitilia III. cola, qui florem demant, tria, urceos mustarios decem. plostra duo, aratra duo. jugum plostrarium I. jugum vinarium I. jugum asinarium I. orbem aheneum. I. molile I. aheneum, quod capit culleum unum. operculum aheni unum, uncos ferreos III. ahenum coculum, quod capiat culleum, urceos aquarios II. Amphoram nassiternam I. pelvim I. matellionem I. trullium I. situlum aquarium I. scutriscum, trullam, candelabrum, matellam, lectos IV. scamnum I. mensas II. abacum I. arcam vestiariam I. armarium promtuarium I. scamna longa VI. rotam aquariam I. modium præferratum I. semodium I. labrum eluacrum I. solium. labrum lupinarium I. serias X. Ornamenta bubus, ornamenta asinis instrata III. semuncias III. sportas fæcarias III. molas asinarias III. trusatiles unas. Ferramenta, falces vineaticas VI. scirpiculas V. falces silvaticas V. arborarias III. secures V. & cuneos IV. vomeres ferreos X. palas VI. rutra quatuor, rastros quadridentes II. crates stercorarias IV. sirpeam stercorariam I. falculas vineaticas XL. falculas ruscarias X. Foculos II. forpices II. rutabulum, corbulas Amerinas XX. quala sataria VII. alveos XL. palas ligneas XL. lintres II. culcitas IV. instragula IV. pulvinos VI. operimenta VI. mappas III. centones pueris VI.

XII. In torcularium quæ opus ſunt vaſis quinis. Prela temperata v. ſupervacanea III. ſuculas v. ſupervacaneam I. funes loreos v. ſubductarios v. medipontos v. trochleas v. capiſtra v. aſſercula v. ubi prela ſita ſient v. ſerias III. vectes XL. fibulas XL. confibulas ligneas, qui arbores comprimat, ſi diſhiaſcent, & cuneos VI. trapetos v. cupas minuſculas X. alveos X. palas ligneas X. rutra ferrea v.

XIII. In torcularium in uſu quod opus eſt. Urceum aheneum I. quod capiat quadrantalia quinque, uncos ferreos tres, orbem aheneum unum, molas unas, cribrum unum, incerniculum unum, ſecurim unam, ſcamnum unum, ſeriam vinariam unam, clavam torcularii unam, lectum ſtratum, ubi duo cuſtodes liberi cubent, & tertius ſervus una cum factoribus uti cubet. fiſcinas novas veteres. epidromum, pulvinum, corium unum, lucernas craticulas duas, carnarium unum, ſcalas unas. In cellam oleariam hæc opus ſunt. Dolia olearia, opercula, labra olearia XIV. conchas majores duas, & minores duas, trullas aheneas tres, amphoras olearias duas, urceum aquarium unum, urnam quinquagenariam unam, ſextarium olearium unum, labellum unum, infundibula duo, ſpongias duas, urceos fictiles II. urnales II. trullas ligneas duas, claves cum cloſtris III. cellas duas, trutinam unam, centumpondium incertum unum, & pondera certa.

XIV. Villam ædificandam ſi locabis novam ab ſolo, faber hæc faciat oportet. Parietes omnes (uti juſſitur) calce & cæmentis, pilas ex lapide angulari, tigna omnia, quæ opus ſunt, limina, poſtes,

jugumenta, asseres, fulmentas, præsepis bubus hibernas, & æstivas Faliscas, equile, cellas familiæ, carnaria III. orbem, ahena II. haras x. focum, januam maximam, & alteram, quam volet dominus, fenestras, clatros in fenestras majores, & minores bipedales x. lumina VI. scamma III. sellas v. telas jogales duas, luminaria VI. paululam pilam, ubi triticum pinsant, unam, fullonicam unam, antepagmenta, vasa torcula duo. Hæ rei materiem, & quæ opus sunt, dominus præbebit, & ad opus dabit: succidet, dolabit. serram I. lineam I. materiam dumtaxat secabit, facietque. Conductor lapidem, calcem, arenam, aquam, paleas, terram, unde lutum fiat. Si de cœlo villa tacta fiet, de ea re verba uti fiant. Huic operi pretium ab domino bono, qui bene præbeat, quæ opus sunt, & numos fide bona solvat. In tegulas singulas II. in tectum: sic numerabitur tegula: integra quæ non erit, unde quarta pars aberit, duæ pro una, conliciares quæ erunt, pro binis putabuntur: in aliis quot erunt, in singulas quaternæ numerabuntur. Villa, lapide calce fundamenta supra terram pede, ceteros parietes ex latere, jugumenta & antepagmenta, quæ opus erunt, indito. Cetera lex uti villa ex calce cæmentis; pretium in tegulas singulas N. S. loco salubri bono domino hæc, quæ supra pretia posita sunt. ex signo manupretium erit: pestilenti, ubi æstate fieri non potest, bono domino pars quarta pretii accedat.

XV. Macerias ex calce, cæmentis, silice, uti dominus omnia ad opus præbeat, altam P. V. facito,

& columen P. I. craſſam P. I. S. longam P. XIV. & uti ſublinat locari oportet. Parietes villæ ſi locet in pedes C. id eſt, P. X. quoquovorſum, libellis in pedes V. & perticam unam P. vic. N. X. Seſquipedalem parietem dominus fundamenta faciat, & ad opus præbeat calcis in P. ſingulos longitudinem opus eſt modium unum, arenæ modios duos.

XVI. Calcem partiario coquendam qui dant, ita dant. Perficit & coquit, & ex fornace calcem eximit calcarius, & ligna conficit ad fornacem. Dominus lapidem, ligna ad fornacem, quod opus ſiet, præbet.

XVII. Robus, materies item pro ridica, ubi ſolſtitium fuerit ad brumam ſemper tempeſtiva eſt. Cetera materies, quæ ſemen habet, cum ſemen maturum habet, tum tempeſtiva eſt. Quæ materies ſemen non habet, cum glubebit, tum tempeſtiva eſt. Ea, quæ ſemen viride & maturum habet, uti ſemen de cupreſſo, de pino, quidvis anni legere poſſis. Item quidvis anni matura eſt, & tempeſtiva, ibi dum ſunt nuces bimæ, inde ſemen excidet, & anniculæ eæ ubi primum incipiunt hiaſcere, tum legi oportet, per ſementim primum incipiunt maturæ eſſe. Poſtea uſque adeo ſunt plus menſes VIII. Hornotinæ nuces virides ſunt. Ulmus, cum folia cadunt, tum iterum tempeſtiva eſt.

XVIII. Torcularium ſi ædificare voles, quadrariis vaſis, uti contra ſient, ad hunc modum vaſa componito: arbores craſſas P. II. altas P. IX. cum cardinibus, foramina longa P. III. S. =— exſculpta digitos VI. Ab ſolo foramen primum, P. I. S. inter arbores & arbores, & parietes P. II. in II. arbores P. I. =— ar-

bores ad ſtipitem primum directos P. XVI. ſtipites craſſi P. II. alti cum cardinibus P. X. ſucula præter cardines P. IX. prelum longum P. XXV. inibi lingulam P. II. S. pavimentum binis vaſis cum canalibus duobus P. XXXIV. trapetibus locum dextra, ſiniſtra, pavimentum P. XX. inter binos ſtipites vectibus locum P. XXII. Alteris vaſis ex adverſum ab ſtipite extremo ad parietem, qui pone arbores eſt, P. XX. Summa torculario, vaſis quadrariis latitudine P. LXVI. longitudine P. L. II. Inter parietes arbores ubi ſtatues, fundamenta bona facito, alta P. V. inibi lapides ſilices totum forum longum P. V. latum P. II. S. craſſum P. I. S. Ibi foramen pedicinis duobus facito. Ibi arbores pedicino in lapide ſtatuito. Inter duas arbores, quod loci ſupererit, robore expleto, eo plumbum infundito, ſuperiorem partem arborum digitos ſex altam facito fiet, eo capitulum robuſtum indito, uti fiet ſtipites ubi ſtent. Fundamenta P. V. facito. Ibi ſilicem longum P. II. S. latum P. II. S. craſſum P. II. S. planum ſtatuito, ibi ſtipites ſtatuito. Item alterum ſtipitem ſtatuito: inſuper arbores ſtipiteſque trabem planam imponito, latam P. II. craſſam P. I. longam P. XXXVII. Vel duplices indito, ſi ſolidas non habebis, ſub eas trabes inter canales, & parietes extremos, ubi trapeti ſtent, trabeculam pedum XXIII. S. imponito ſeſquipedalem, aut binas pro ſingulis eo ſupponito. In iis trabeculis trabes, quæ inſuper arbores ſtipites ſtant, collocato. In iis tignis parietes exſtruito, jungitoque materiæ, uti oneris ſatis habeat. Aream ubi facies, P. V. fundamenta alta facito, lata P. VI.

aream, & canalem rotundam facito latam. P. IV. S. —— Ceterum pavimentum totum fundamenta pedum duorum facito. Fundamenta primum ſiſtucato, poſtea cæmentis minutis, & calce arenato ſemipedem unumquodque corium ſtruito. Pavimenta ad hunc modum facito, ubi liberaveris, de glarea, & calce arenato primum corium facito; id pilis ſubigito, idem alterum corium facito. eo calcem cribro ſuccretam indito alte digitos duo. ibi de teſta arida pavimentum ſtruito. ubi ſtructum erit, pavito, fricatoque, uti pavimentum bonum ſiet. Arbores, ſtipiteſque robuſtas facito, aut pineas. Si trabes minores facere voles, canales extra columnam expolito. ſi ita feceris, trabes pedum XXII. longæ opus erunt. Orbem olearium latum pedibus IV. punicanis coagmentis facito, craſſum digitos VI. facito, ſubſcudes iligneas adindito. Eas ubi confixeris, clavis corneis occludito. In eum orbem tris catenas indito. Eas catenas cum orbibus clavis ferreis corrigito. Orbem ex ulmo, aut ex corylo facito. Si utrumque habebis, alternas indito.

XIX. In vaſa vinaria ſtipites arboreſque binis pedibus altiores facito, ſupra foramina arborum pedem quæque uti abſient, unæ fibulæ locum facito. ſemipedem quoquoverſum, in ſuculam ſena foramina indito. foramen, quod primum facies, ſemipedem ab cardine facito, cetera dividito quam rectiſſime. Porculum in media ſucula facito. Inter arbores medium quod erit, id ad mediam collibrato, ubi porculum figere oportebit. uti in medio prelum recte ſitum ſiet. Lingulam cum facies, de me-

dio prelo collibrato. ut inter arbores bene conveniat, digitum pollicem laxamenti facito. Vectes longissimos pedum XVIII. secundos pedum XVI. tertios pedum XV. remissarios pedum XII. alteros pedum X. tertios pedum VIII.

XX. Trapetum quomodo concinnare oporteat. Columellam ferream, quæ in miliario stat, eam rectam stare oportet in medio ad perpendiculum, cuneis salignis circumfigi oportet bene. eo plumbum effundere caveat, ni labet columella. Si movebitur, eximito; denuo eodem modo facito, ne se moveat. Modiolos in orbis, oleaginos ex orchite olea facito, & eos circumplumbato, caveto, ne laxi sient. Si autem labent, in cupam eos indito. tunicas solidas, & latas digitum pollicem facito. labeam bifariam faciat, & habeat quas figat clavis duplicibus, ne cadant.

XXI. Cupam facito P. X. tam crassam, quam modioli postulabunt, mediam inter orbis, quæ conveniat, tam crassam quam columella ferrea erit. Eam mediam pertundito, uti in columella indere possis. Eo fistulam ferream indito, quæ in columellam conveniat, & in cupam. Inter cupam dextra sinistra pertundito late digitos primoris IV. alte digitos primoris tres, sub cupa tabulam ferream lata cupa media erit, pertusam figito, quæ in columellam conveniat dextra sinistra. foramina ubi feceris, laminis circumplectito, replicato in inferiorem partem cupæ omnis quatuor laminas: dextra sinistra foramina utrinque secus laminas. Sublaminas pollulas minutas supponito, eas inter sese configito, ne

foramina majora fiant, quo cupulæ minuſculæ indentur. Cupam, qua fini in modiolos erit, utrinque ſecus imbricibus ferreis quatuor deſues, ibi utrinque ſecus facito, qui figas. imbrices medias clavulis figito. Supra imbrices extrinſecus cupam pertundito, qua clavus eat, qui orbem cludat. Inſuper foramen librarium ferreum digitos ſex latum indito, pertuſum utrumque ſecus qua clavus eat. Hæc omnia ejus rei cauſa fiunt, uti ne cupa in lapide conteratur. Armillas IV. facito, quas circum orbem indas, ne cupa & clavus conterantur. Intrinſecus cupam materia ulmea aut faginea facito. Ferrum factum, quod opus erit, uti idem faber figat. HS. LX. opus ſunt, cum plumbum cupam emito HS. IV. cupam qui concinnet, & modiolos qui indat, & plumbet, operas fabri dumtaxat ✝✝- VIII. Idem trapetum oportet accommodet. Summa ſumti ✝✝ LXXII. præter adjutores.

XXII. Trapetum hoc modo accommodare oportet. librator uti ſtatuatur pariter. ab labris digitum minimum orbem abeſſe oportet. ab ſolo mortarii orbes cavere oportet, ne quid mortarium terant. Inter orbem, & miliarium unum digitum intereſſe oportet. ſi plus intererit, atque orbes nimium aberunt, funi circumligato miliarium arcte crebro, uti expleas quod nimium intereſt. Si orbes altiores erunt, atque nimium mortarium deorſum teret, orbiculos ligneos pertuſos in miliarium, in columellam ſupponito, eo latitudinem temperato. Eodem modo altitudinem orbiculis ligneis, aut armillis ferreis temperato, uſque dum recte temperabitur.

Trapetus emtus eſt in Sueſſano ☩- CCCC. & olei p. l. compoſturæ ☩ LX. vectura boum, operas ſex homines VI. cum bubulcis ☩ LXII. cupam ornatam ☩ LXXII. pro oleo ☩- P. XXV. S. S. ☩ DCXXIX. Pompejis emtus ornatus ☩ CCCLXXXIV. vectura ☩ CCLXXX. Domi melius concinnatur, & accommodatur. Eo ſumti opus eſt. ☩ LX. Summa, ☩- DCCXXIV. Si orbes in veteres trapetos parabis medios craſſos P. I. digitos III. altos P. I. foramen ſemipedem quoquoverſum. eos cum advexeris, ex trapeto temperato. Ii emuntur ad Rufri macerias ☩- CLXXX. temperantur ☩ XXX. tantidem Pompejis emitur.

XXIII. Face ad vindemiam, quæ opus ſunt, uti parentur. vaſa laventur: corbulæ ſarciantur: picentur dolia: quæ opus ſunt, picentur. cum pluet, quala parentur, ſarciantur. far molatur. Bennæ emantur. oleæ caducæ ſalliantur. Uvas miſcellas ad vinum præliganeum, quod operarii bibant, ubi tempus erit, legito. ſiccum pariter omnium dierum pariter in dolia dividito. Si opus erit, defrutum indito in muſtum, de muſto lixivo coctum, partem quadrageſimam addito defruti, vel ſalis ſeſquilibram in culleum. Marmor ſi indes in culleum, libram indito. id indito in urnam, miſceto cum muſto. id indito in dolium. reſinam ſi indes, in culleum muſti P. III. bene comminuito, indito in fiſcellam & facito uti in dolio muſti pendeat. eam quaſſato crebro, uti reſina condeliqueſcat. Indideris defrutum, aut marmor, aut reſinam, dies XX. permiſceto crebro, tribulato quotidie. Tortivum muſtum circumcida-

neum ſuo cuique dolio dividito, additoque pariter.

XXIV. Vinum Græcum hoc modo fieri oportet. Uvas Apicias percoctas bene legito. ubi delegeris, in ejus muſti culleum aquæ marinæ veteris quadrantalia II. vel ſalis puri modium. Eum in fiſcella ſuſpendito, ſinitoque cum muſto diſtabeſcat. Si helveolum vinum facere voles, dimidium helveoli, dimidium apicii vini indito, defruti veteris partem triceſimam addito. Quidquid vini defrudabis, partem triceſimam defruti addito.

XXV. Cum vinum coctum erit, & cum legetur, facito uti ſervetur familiæ primum ſuiſque, facitoque ſtudeas bene percoctum ſiccumque legere, ne vinum nomen perdat. Vinaceos quotidie recentes ſuccernito, lecto retibus ſubtento cribrum illius rei parato, eos conculcato in dolia picata, vel in lacum vinarium picatum. id bene operito, jubeto oblini, quod des bubus per hiemem. Indidem, ſi voles, lavito. paulatim erit lorea familiæ, quod bibat.

XXVI. Vindemia facta, vaſa torcula, corbulas, fiſcinas, funes, patibula, fibulas jubeto ſuo quidquid loco condi. Dolia cum vino bis in die face extergeantur. Privaſque ſcopulas in dolia facito habeas illi rei, qui labra doliorum circumfrices. Ubi erit lectum dies triginta, ſi bene deacinata erunt dolia, oblinito. Si voles de fæce demere vinum, tum erit ei rei optimum tempus.

XXVII. Sementim facito, ocimum, viciam, fœnum Græcum, fabam, ervum, pabulum bubus. Alteram, & tertiam pabuli ſationem facito. Deinde alias fruges ſerito. Scrobis in vervacto oleis, ulmis,

vitibus, ficis, ſimul cum ſemine ſerito. Si erit locus ſiccus, tum oleas per ſementim ſerito, & quæ ante ſatæ erunt, teneras tum ſupputato, & arbores ablaqueato.

XXVIII. Oleas, ulmos, ficos, poma, vites, pinos, cupreſſos cum ſeres, bene cum radicibus eximito cum terra ſua quam plurima, circumligatoque uti ferre poſſis. in alveo aut in corbula ferri jubeto. Caveto, cum ventus ſiet aut imber, effodias, aut ſeras. nam id maxime cavendum eſt. In ſcrobe cum pones, ſummam terram ſubdito. poſtea operito terra radicibus fini, deinde calcato pedibus bene, deinde fiſtucis vectibuſque calcato quam optime poteris. Id erit ei rei primum. Arbores craſſiores digitis v. quæ erunt, eas præciſas ſerito, oblinitoque fimo ſummas, & foliis alligato.

XXIX. Stercus dividito ſic. Partem dimidiam in ſegetem, ubi pabulum feras, invehito. Et ſi ibi olea erit, ſimul ablaqueato, ſtercuſque addito. Poſtea pabulum ſerito, partem quartam circum oleas ablaqueatas, qua maxime opus erit, addito, terraque ſtercus operito. Alteram quartam partem in pratum reſervato, idque tum maxime opus erit, ubi Favonius flabit. Evehito luna ſilenti.

XXX. Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, uſquedum habebis, dato. Ovibus frondem viridem, uſquedum habebis, præbeto. Ubi ſementim facturus eris, ibi oves delectato, & frondem uſque ad pabula matura. Pabulum aridum, quod condideris in hieme, quam maxime conſervato, cogitatoque, hiems quam longa ſiet.

XXXI. Ad oleam cogendam quæ opus erunt, parentur. Vimina matura, salix per tempus legatur, uti siet unde corbulæ fiant, & veteres sarciantur, fibulæ unde fiant. Aridæ iligneæ, ulmeæ, nuceæ, ficulneæ, face uti in stercus, aut in aquam conjiciantur. inde ubi opus erit, fibulas facito. Vectes iligneos, acrufolios, laureos, ulmeos facito, uti sient parati. Prelum de carpino atra potissimum facito. ulmeam, pineam, nuceam, hanc atque aliam materiem omnem cum effodies, luna decrescente eximito, post meridiem, sine vento Austro. Tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit. Cavetoque per rorem trahas, aut doles. Quæ materies semen non habebit, cum glubet, tempestiva erit. Vento Austro caveto, ne quam materiam, neve vinum tractes, nisi necessario.

XXXII. Vineas, arboresque mature face incipias putare. Vites propages sulcos, sursum vorsum, quoad ejus facere poteris, vitis facito uti ducas. Arbores hoc modo putentur, rami uti divaricentur, quos relinques, & uti recte cædantur, & ne nimium crebri relinquantur. Vites bene nodentur per omnes ramos. diligenter caveto, ne vitem præcipites, & ne nimium perstringas. Arbores facito uti bene maritæ sint, vitesque uti satis multæ afferantur, & sicubi opus erit, de arbore dejiciantur, & in terram deprimantur, & biennio post præcidito veteres.

XXXIII. Vineam sic facito, uti curetur. Vitem bene enodatam deligato recte, flexuosa uti ne siet, sursum vorsum semper ducito, quoad ejus poteris, vinarios, custodesque recte relinquito. Quam altis-

ſimam vineam facito, alligatoque recte, dum ne nimium conſtringas. Hoc modo eam curato. Capita vitium per ſementim ablaqueato. Vineam putatam circumfodito. arare incipito, ultro citroque ſulcos perpetuos ducito. Vites teneras quamprimum propagato, ſic occato veteres, quam minimum caſtrato; potius, ſi opus erit, dejicito, biennioque poſt præcidito. Vitem novellam reſecari tum erit tempus, ubi valebit. Si vinea a vite calva erit, ſulcos interponito, ibique viviradicem ſerito, umbram ab ſulcis removeto crebroque fodito. In vinea vetere ſerito ocimum. Si macra erit, quod granum capiat ne ſerito, & circum capita addito ſtercus, paleas, vinaceas, aliquid horum, quo rectius valeat. Ubi vinea frondere cœperit, pampinato. Vineas novellas alligato crebro, ne caules perfringantur. Et quæ jam in perticam ibit, ejus pampinos teneros alligato leviter, corrigitoque, uti recte ſpectent. Ubi uva varia fieri cœperit, vites ſubligato, pampinato, uvaſque expellito, circum capita ſarito. Salictum ſuo tempore cædito, glubito, arcteque alligato. Librum conſervato, cum opus erit in vinea ex eo in aquam conjicito, alligato. Vimina, unde corbulæ fiant, conſervato.

XXXIV. Redeo ad ſementim. ubi quiſque locus frigidiſſimus, aquoſiſſimuſque erit, ibi primum ſerito. In calidiſſimis locis ſementim poſtremum fieri oportet. terram cave carioſam tractes. Ager rubricoſus & terra pulla, materina, rudecta, arenoſa: item quæ aquoſa non erit, ibi lupinum bonum fiet. In creta, & uligine, & rubrica, & agro, qui aquo-

ſus erit, ſemen adoreum potiſſimum ſerito, quæ loca ſicca & non herboſa erunt, aperta ab umbra, ibi triticum ſerito.

XXXV. Fabam in locis validis non calamitoſis ſerito. Viciam & fœnum Græcum quam minime herboſis locis ſerito. Siliginem, triticum in loco aperto, celſo, ubi ſol quam diutiſſime ſiet, ſeri oportet. Lentim in rudecto & rubricoſo loco, qui herboſus non ſiet, ſerito. Hordeum, qui locus novus erit, aut qui reſtibilis fieri poterit, ſerito. Trimeſtrem quo in loco ſementim maturam facere non potueris, & qui locus reſtibilis craſſitudine fieri poterit, ſeri oportet. Rapinam & coles rapicii unde fiant, & raphanum, in loco ſtercorato bene, aut in loco craſſo ſerito.

XXXVI. Quæ ſegetem ſtercorant. Stercus columbinum ſpargere oportet in pratum, vel in hortum, vel in ſegetem. Caprinum, ovillum, bubulum, item ceterum ſtercus omne ſedulo conſervato. Amurcam ſpargas, vel irriges ad arbores, circum capita majora amphoras, ad minora urnas cum aquæ dimidio addito, ablaqueato prius non alte.

XXXVII. Si carioſam terram tractes, cicer quod vellitur, & quod ſalſum eſt, eo malum eſt. Hordeum, fœnum Græcum, ervum, hæc omnia ſegetem exſugunt, & omnia quæ velluntur. Nucleos in ſegetem ne indideris. Lupinum, faba, vicia, ſtercus unde facias. ſtramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus, frondem iligneam, querneam. Ex ſegete vellito ebulum, cicutam, & circum ſalicta herbam altam, ulvamque. eam ſubſternito ovibus, bu-

busque, frondem putidam. Partem de nucleis succernito & in lacum conjicito, eo aquam addito, permisceto rutro bene. Inde lutum circum oleas ablaqueatas addito, nucleos combustos item addito. Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, & ibidem inarato, aut infodito. Per hiemem lucubratione hæc facito. Ridicas & palos, quos pridie in tecto posueras, siccos dolato, faculas facito, stercus egerito. Nisi intermestri, lunaque dimidiata, materiam ne tangas. Materiam, quam effodies aut præcides, abs terra, diebus septem proximis, quibus luna plena fuerit, optime eximetur. Omnino caveto, ne quam materiam doles, neu cædas, neu tangas, si potes, nisi siccam, neu gelidam, neu rorulentam. Frumenta face bis sarias runcesque, avenamque destringas. De vinea & arboribus putatis sarmenta degere, & fiscinam facere, & vitis, & ligna in caminum ficulna, & codicillos domino in acervum componeto.

XXXVIII. Fornacem calcariam pedes latam x. facito, altam pedes xx. usque ad pedes III. summam latam redigito. Si uno præfurnio coques, lacunam intus magnam facito, uti satis fiet, ubi cinerem concipiat, ne foras sit educendus. Fornacemque bene struito: facito fortax totam fornacem infimam complectatur. Si duobus præfurniis coques, lacuna nihil opus erit. Cum cinere eruto opus erit, altero præfurnio eruito, in altero ignis erit. Ignem caveto ne intermittas, quin semper fiet, neve noctu, neve ullo tempore intermittatur, caveto. Lapidem bonum, in fornacem, quam candidissimum, quam

minime varium indito. Cum fornacem facies, fauces præcipites deorſum facito. Ubi ſatis foderis, tum fornaci locum facito, uti quam altiſſima, & quam minime ventoſa ſiet. Si parum altam fornacem habebis, ubi facias lateres ſummam ſtatuito, aut cæmentis cum luto ſummum extrinſecus oblinito. Cum ignem ſubdideris, ſi qua flamma exibit, niſi per orbem ſummum, luto oblinito. Ventus ad præfurnium caveto ne accedat. Inibi Auſtrum caveto maxime. Hoc ſigni erit, ubi calx cocta erit, ſummos lapides coctos eſſe oportebit. item infimi lapides cocti cadent, & flamma minus fumoſa exibit. Si ligna & virgas non poteris vendere, neque lapidem habebis, unde calcem coquas, de lignis carbones coquito, virgas & ſarmenta, quæ tibi uſioni ſupererunt, in ſegete comburito. Ubi eas combuſſeris, ibi papaver ſerito.

XXXIX. Ubi tempeſtates malæ erunt, cum opus fieri non poterit, ſtercus in ſterquilinium egerito. Bubile, ovile, cortem, villam bene purgato. Dolia plumbo vincito, vel materie quernea, viti ſicca alligato. Si bene ſarſeris, aut bene alligaveris, & in rimas medicamentum indideris, beneque picaveris, quodvis dolium vinarium facere poteris. Medicamentum in dolium hoc modo facito. Ceræ P. I. reſinæ P. I. ſulfuris P. .:. Hæc omnia in calicem novum indito. eo addito gypſum contritum, uti craſſitudo fiat quaſi emplaſtrum, eo dolia ſarcito. Ubi ſarſeris, qui colorem eundem facias, cretæ crudæ partes duas, calcis tertia commiſceto: inde laterculos facito, coquito in fornacem, eum

conterito, idque inducito. Per imbrem in villam quærito quid fieri poſſit. Ne ceſſetur, munditias facito. Cogitato, ſi nihil fiet, nihilo minus ſumtum futurum.

XL. Per ver hæc fieri oportet. Sulcos & ſcrobes fieri ſeminariis. Vitiariis locum verti. vites propagari. In locis craſſis & humectis ulmos, ficos, poma, oleas ſeri oportet. Ficos, oleas, mala, pira, vites inſeri oportet luna ſilenti poſt meridiem, ſine vento Auſtro. Oleas, ficos, pira, mala hoc modo inſerito. Quem ramum inſiturus eris, præcidito, inclinato aliquantum, ut aqua defluat. Cum præcides, caveto, ne librum convellas. Sumito tibi ſurculum durum, eum præacuito, ſalicem Græcam diſcindito. argillam, vel cretam coaddito, arenæ paululum, & fimum bubulum. Hæc una bene condepſito, quam maxime uti lentum fiat. capito tibi ſciſſam ſalicem, ea ſtirpem præciſum circumligato, ne liber frangatur. Ubi id feceris, ſurculum aridum præacutum inter librum & ſtirpem artito primores digitos duos. poſtea capito tibi ſurculum, quod genus inſerere voles, eum primorem præacuito obliquum primores digitos duos. ſurculum aridum, quem artiveras, eximito, eo artito ſurculum, quem inſerere voles. Librum ad librum vorſum facito, artito uſque adeo, quo præacueris. Idem alterum ſurculum tertium, quartum facito. quot genera voles, tot indito. Salicem Græcam amplius circumligato, luto depſto ſtirpem oblinito, digitos craſſos III. Inſuper lingua bubula obtegito, ſi pluat, ne aqua in librum permanet. eam linguam inſuper librum al-

ligato, ne cadat. Poſtea ſtramentis circumdato, alligatoque, ne gelus noceat.

XLI. Vitis inſitio una eſt per ver, altera eſt cum uva floret, ea optima eſt. Pirorum ac malorum inſitio per ver, & per ſolſtitium dies quinquaginta, & per vindemiam. Oleæ & ficorum inſitio eſt per ver. Vitem ſic inſerito. præcidito, quam inſeres. eam mediam diffindito per medullam. eo ſurculos præacutos artito, quos inſeres, medullam cum medulla componito. Altera inſitio eſt. Si vitis vitem continget, utriuſque vitem teneram præacuito, obliquo inter ſeſe medullam cum medulla libro colligato. Tertia inſitio eſt. Terebra vitem, quam inſeres, pertundito, eo duos ſurculos vitigineos, quod genus eſſe voles, inſectos obliquos artito ad medullam. facito iis medullam cum medulla conjungas, artitoque ea, qua terebraveris, alterum ex altera parte. Eos ſurculos facito ſint longi pedes binos: eos in terram dimittito, replicatoque ad vitis caput, medias vitis vinclis in terram defigito, terraque operito. Hæc omnia luto depſto oblinito, alligato, integitoque ad eundem modum, tanquam oleas.

XLII. Ficos & oleas altero modo. Quod genus aut ficum, aut oleam eſſe voles, inde librum ſcalpro eximito, alterum librum cum gemma de eo fico, quod genus eſſe voles, eximito; apponito in eum locum, unde exſecaveris in alterum genus, facitoque uti conveniat. Librum longum facito digitos III. S. latum digitos tres. ad eundem modum oblinito, integito, uti cetera.

XLIII. Sulcos, si locus aquosus erit, alveatos esse oportet latos summos pedes III. altos pedes IV. infimum latum pedem unum, & palmum. eos lapide consternito. si lapis non erit, perticis saligneis viridibus controversis collatis consternito: si pertica non erit, sarmentis colligatis. Postea scrobes facito altos P. III. S. latos pedes IV. & facito de scrobe aqua in sulcum defluat, ita oleas serito. Vitibus sulcos & propagines, ne minus pedibus II. S. quoquoversus facito. Si voles vinea cito crescat, & olea, quam severis, semel in mense sulcos, & circum capita oleagina, quot mensibus usque donec trimae erunt, fodere oportet. Eodem modo ceteras arbores procurato.

XLIV. Olivetum diebus XV. ante aequinoctium vernum incipito putare. Ex eo die dies XLV. recte putabis. Id hoc modo putato. Qua locus recte ferax erit, quae arida erunt. & si quid ventus interfregerit, ea omnia eximito. qua locus ferax non erit, id plus concidito, aratoque. bene enodato, stirpesque leveis facito.

XLV. Taleas oleagineas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito, diligenterque tractato, ne liber laboret, cum dolabis aut secabis. Quas in seminario saturus eris, pedalis facito, eas sic inserito. Locus bipalio subactus siet, [beneque terra tenera siet] beneque glutus siet. Cum taleam demittes, pede taleam opprimito. si parum descendet, malleolo aut mateola adigito, cavetoque, ne librum scindas cum adiges. Palo prius locum ne feceris, quo taleam demittas: si ita severis, uti stet

talea, melius vivet. Taleæ ubi trimæ ſunt, tum denique maturæ ſunt, ubi liber ſeſe vertet. Si in ſcrobibus aut in ſulcis ſeres, ternas taleas ponito, eaſque divaricato. Supra terram, ne plus IV. digitos tranſverſos emineant, vel oculos ſerito.

XLVI. Seminarium ad hunc modum facito. Locum quam optimum & apertiſſimum & ſtercoroſiſſimum poteris, & quam ſimillimum genus terræ eæ, ubi ſemina poſiturus eris, & uti ne nimis longe ſemina ex ſeminario ferantur, eum locum bipalio vortito, delapidato, circumque ſæpito bene, & in ordine ſerito, in ſeſquipedem quoquovorſum taleam demittito, opprimitoque pede. Si parum deprimere poteris, malleo aut mateola adigito. Digitum ſupra terram facito ſemina emineant, fimoque bubulo ſummam taleam oblinito, ſignumque apud taleam apponito, crebroque ſarito, ſi voles cito ſemina creſcant. ad eundem modum alia ſemina ſerito.

XLVII. Harundinem ſic ſerito. Ternos pedes oculos diſponito. Vitiarium eodem modo facito ſeritoque. ubi vitis bima erit, reſecato. ubi trima erit, eximito, ſi pecus paſcetur. ubi vitem ſerere voles, ter prius reſecato, quam ad arborem ponas. ubi V. nodos veteres habebit, tum ad arborem ponito, quotannis porrinam inſerito, quotannis habebis, quod eximas.

XLVIII. Pomarium ſeminarium ad eundem modum, atque oleagineum facito. Suum quidquid genus talearum ſerito. Semen cupreſſi ubi ſeres, bipalio vortito, vere primo ſerito. porcas pedes qui-

nos latas facito. eo ſtercus minutum addito, conſarito, glebaſque comminuito. Porcam planam facito, paulum concavam. tum ſemen ſerito crebrum tanquam linum, eo terram cribro incernito, altam digitum tranſverſum. Eam terram tabula aut pedibus complanato, furcas circum offigito. eo perticas intendito. eo ſarmenta aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant & ſolem. uti ſubtus homo ambulare poſſit, facito. crebro runcato. ſimul herbæ inceperint naſci, eximito. nam ſi herbam duram velles, cupreſſos ſimul evelles. Ad eundem modum ſemen pirorum, malorum, ſerito, tegitoque. Nuces pineas ad eundem modum, niſi tanquam alium ſerito.

XLIX. Vineam veterem ſi in alium locum tranſferre voles, dumtaxat brachium craſſam licebit. Primum deputato, binas gemmas ne amplius relinquito. Ex radicibus bene effodito, [uſque radices perſequitor] & caveto, ne radices ſaucies. ita uti fuerit, ponito in ſcrobe, aut in ſulco, operitoque, & bene occulcato. Eodemque modo vineam ſtatuito, alligato, flexatoque uti fuerit, crebroque fodito.

L. Prata primo vere ſtercorato luna ſilenti. quæ irrigua non erunt, ubi Favonius flare cœperit. Cum prata defendes, depurgato, herbaſque malas omneis radicitus effodito. Ubi vineam deputaveris, acervum lignorum virgarumque facito. Ficos interputato, & in vinea ficos ſubradito alte, ne eas vitis ſcandat. Seminaria facito, & vetera reſarcito. Hoc facito, antequam vineam fodere incipias. Ubi daps

profanata comeſtaque erit, verno arare incipito; & loca primum arato, quæ ſicciſſima erunt: & quæ craſſiſſima & aquoſiſſima erunt, ea poſtremum arato, dum ne prius obdureſcant.

LI. Propagatio pomorum, aliarum arborum. Ab arbore abs terra pulli qui naſcentur, eos in terram deprimito, extollitoque primorem partem, uti radicem capiat: inde biennio poſt effodito, ſeritoque. Ficum, oleam, malum Punicum, cotôneum, aliaque mala omnia, laurum, myrtum, nuces Prænestinas, platanum. Hæc omnia a capite propagari eximique, ſerique eodem modo oportet.

LII. Quæ diligentius propagari voles, in aulas, aut in qualos pertuſos propagari oportet, & cum iis in ſcrobem deferri oportet. In arboribus, ubi radices capiant, calicem pertundito per fundum, aut qualum, ramum, quem radicem capere voles, trajicito. Eum qualum, aut calicem terra impleto, calcatoque bene, in arborem relinquito. Ubi ita fuerit, ramum ſub qualo præcidito. Qualum incidito ex una parte perpetuum. ſi vero calix erit, conquaſſato. cum eo qualo, aut calice in ſcrobem ponito. Eodem modo vitem facito, eam anno poſt præcidito, ſeritoque cum qualo. Hoc modo, quod genus vis, propagabis.

LIII. Fœnum, ubi tempus erit, ſecato, cavetoque, ne ſero ſeces. Priuſquam ſemen maturum ſiet, ſecato, & quod optimum fœnum erit, ſeorſum condito. Per ver cum arabunt, antequam ocinum, des quod edunt.

LIV. Bubus pabulum hoc modo parari darique

oportet. Ubi ſementim patraveris, glandem parari legique oportet, & in aquam conjici. Inde ſemodios ſingulis bubus in dies dari oportet, & ſi non laborabunt, paſcantur, ſatius erit. aut modium vinaciorum, quos in dolium condideris. Interdiu paſcito, noctu fœni pondo XXV. uni bovi dato. Si fœnum non erit, frondem iligneam & ederaceam dato. Paleas triticeas & ordeaceas, acus fabaginum, viciam, vel de lupino: item de ceteris frugibus omnia condito. Cum ſtramenta condes, quæ herboſiſſima erunt, in tecto cóndito, & ſale ſpargito. deinde ea pro fœno dato. Ubi verno dare cœperis, modium glandis aut vinaciorum dato, aut modium lupini macerati, & fœni pondo XV. Ubi ocinum tempeſtivum erit, dato primum. Manibus carpito, id renaſcetur. quod falcula ſecueris, non renaſcetur. Uſque ocinum dato, donec areſcat, ita temperato, poſtea viciam dato, poſtea panicum dato, ſecundum panicum frondem ulmeam dato. Si populneam habebis, admiſceto, ut ulmea ſatis ſiet. Ubi ulmeam non habebis, querneam & ficulneam dato. Nihil eſt quod magis expediat, quam boves bene curare. Boves, niſi per hiemem, cum non arabunt, paſci non oportet. nam viride cum edunt, ſemper id exſpectant. & fiſcellas habere oportet, ne herbam ſectentur, cum arabunt.

LV. Ligna domino in tabulato condito, codicillos oleagineos, radices in acervo ſub dio metas facito.

LVI. Familiæ cibaria qui opus facient per hiemem, tritici modios IV. per æſtatem modios IV. S.

vilico, vilicæ epiſtatæ, opilioni modios III. Compeditis per hiemem panis P. IV. Ubi vineam fodere cœperint, panis P. V. uſque adeo dum ficus eſſe cœperint, deinde ad P. IV. redito.

LVII. Vinum familiæ. Ubi vindemia facta erit, loram bibant menſes III. Menſe quarto heminas in dies, id eſt, in menſe congios II. S. Menſe quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, in dies ſextarios, id eſt, in menſe congios quinque. nono, decimo, undecimo, in dies heminas ternas: id eſt amphoram. Hoc amplius Saturnalibus & Compitalibus in ſingulos homines congios. Summa vini in homines ſingulos inter annum: cum compeditis uti quidquid operis facient pro portione addito: eos non eſt nimium in annos ſingulos vini quadrantalia X. ebibere.

LVIII. Pulmentarium familiæ, oleæ caducæ quam plurimum condito. Poſtea oleas tempeſtivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito, parcito, uti quam diutiſſime durent. Ubi oleæ comeſæ erunt, halecem & acetum dato. Oleum dato in menſes unicuique ſextarium I. Salis unicuique in anno modium ſatis eſt.

LIX. Veſtimenta familiæ tunicam P. III. S. ſaga alternis annis. Quoties cuique tunicam aut ſagum dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant. Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.

LX. Bubus cibaria annua in juga ſingula lupini modios CXX. aut glandis modios CCXL. fœni pondo, IↃXXↃ ocini. fabæ modios XX. viciæ modios XXX. Præterea granatui videto uti ſatis viciæ ſeras. Pabulum cum ſeres, multas ſationes facito.

LXI. Quid eſt agrum bene colere? Bene arare. Quid ſecundum? Arare. tertio, Stercorare. Qui oletum ſæpiſſime & altiſſime miſcebit, is tenuiſſimas radices exarabit. ſi male arabit, radices ſurſum adibunt, craſſiores fient, & in radices vires oleæ abibunt. (Agrum frumentarium cum ares, bene & tempeſtive ares, ſulco vario ne ares). Cetera cultura eſt multum ſerere, & diligenter eximere ſemina, & per tempus radices plurimas cum terra ferre. ubi radices bene operueris, calcare bene, ne aqua noceat. Si quis quærat, quod tempus oleæ ſerendæ ſiet, agro ſicco per ſementim, agro læto per ver.

LXII. Quot juga boum, mulorum, aſinorum habebis, totidem ploſtra eſſe oportet.

LXIII. Funem torculum eſſe oportet extentum P. LV. Funem loreum in ploſtrum P. LX. lora retinacula longa P. XXVI. ſubjugia in ploſtrum P. XVIII. funiculum P. XV. in aratrum ſubjugia lorum P. XVI. funiculum P. VIII.

LXIV. Olea ubi matura erit, quam primum cogi oportet, quam minimum in terra & in tabulato eſſe oportet. In terra & in tabulato puteſcit. Leguli volunt, uti olea caduca quamplurima ſit, quo plus legatur. Factores, ut in tabulato diu ſit, ut fracida ſit, quo facilius efficiant. Nolito credere, oleum in tabulato poſſe creſcere. Quam citiſſime conficies, tam maxime expediet, & totidem modiis collectæ plus olei efficient, & melius. Olea, quæ diu fuerit in terra, aut in tabulato, inde olei minus fiet & deterius. Oleum, ſi poteris, bis in die depleto. nam

oleum quam diutissime in amurca & in fracibus erit, tam deterrimum erit.

LXV. Oleum viride sic facito. Oleam quam primum ex terra tollito. Si inquinata erit, lavito, a foliis & stercore purgato. postridie, aut post diem tertium, quam lecta erit, facito. Oleam, ubi nigra erit, stringito. Quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Domino de matura olea oleum fieri maxime expediet. Si gelicidia erunt, cum oleam coges, triduum, aut quatriduum post oleum facito. Eam oleam, si voles, sale inspergito. Quam calidissimum torcularium & cellam habeto.

LXVI. Custodis & capulatoris officia. Servet diligenter cellam & torcularium. Caveat quam minimum in torcularium & in cellam introeatur. Quam mundissime purissimeque fiat, vase aheneo, neque nucleis ad oleum ne utatur. nam si utetur, oleum male sapiet. Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat. Ubi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum, quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset. Amurcam caveat ne tollat. Oleum in labrum primum indito. inde in alterum dolium indito. de iis labris fraces, amurcamque semper subtrahito. Cum oleum sustuleris de cortina, amurcam dehorito.

LXVII. Qui in torculario erunt, vasa pura habeant, curentque, uti olea bene perficiatur, beneque siccetur. Ligna in torculario ne cædant. Oleum frequenter capiant. Factoribus det in singulos factus, olei sextarios, & in lucernam quod opus siet. Fraces quotidie rejiciat. Amurcam commutet usque

adeo, donec in lacum, qui in cella eſt, poſtremum perveuerit. fiſcinas ſpongia effingat. Quotidie oleo lacum commutet, donec in dolium perveuerit. In torculario & in cella caveat diligenter, ne quid olei ſurripiatur.

LXVIII. Ubi vindemia & oleitas facta erit, prela extollito, funes torculos, medipontos, ſubductarios in carnario, aut in prelo ſuſpendito. Orbes, fibulas, vectes, ſcutulas, fiſcinas, corbulas, quala, ſcalas, patibula omnia, queis uſus erit, in ſuo quidque loco reponito.

LXIX. Dolia olearia nova ſic imbuito. Amurca impleto dies VII. Facito, ut amurcam quotidie ſuppleas. Poſtea amurcam eximito & arfacito. ubi arebit, cummim pridie in aquam infundito. ea poſtridie diluito. Poſtea dolium calfacito. Minus quam ſi picare velis tepeat, ſatis eſt. Lenibus lignis facito caleſcat. ubi temperate tepebit, tum cummim indito, poſtea linito. Si recte liveris, in dolium quinquagenarium cummim P. IV. ſatis erit.

LXX. Bubus medicamentum. Si morbum metues, ſanis dato ſalis micas III, folia laurea III, porri fibras III, ulpici ſpicas III, alii ſpicas III, turis grana III, herbæ ſabinæ plantas III, rutæ folia III, vitis albæ caules III, fabulos albos III, carbones vivos III, vini S. III. Hæc omnia ſublimiter legi, teri, darique oportet. Jejunus ſiet qui dabit. Ter triduum de ea potione unicuique bovi dato. Ita dividito, cum ter unicuique dederis, omnem abſumas. Boſque ipſus, & qui dabit, facito, ut uterque ſublimiter ſtent. Vaſe ligneo dato.

LXXI. Bos si ægrotare cœperit, dato continuo ei unum ovum gallinaceum crudum, integrum facito devoret. Postridie caput ulpici conterito, cum hemina vini, facitoque ebibat. Sublimiter terat & vaso ligneo det. Bosque ipsus, & qui dabit, sublimiter stet. Jejunus jejuno bovi dato.

LXXII. Boves ne pedes subterant, priusquam in viam quoquam ages, pice liquida cornua infima unguito.

LXXIII. Ubi uvæ variæ cœperint fieri, bubus medicamentum dato quotannis, uti valeant. Pellem anguinam ubi videris, tollito & condito, ne quæras cum opus fiet. Eam pellem, & far, & salem, & serpullum, hæc omnia una conterito, cum vino dato bubus bibant omnibus. Per æstatem boves aquam bonam & liquidam bibant semper curato. ut valeant, refert.

LXXIV. Panem depsticium sic facito. Manus, mortariumque bene lavato. Farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, subigitoque pulchre. ubi bene subegeris, defingito, coquitoque sub testu.

LXXV. Libum hoc modo facito. Casei P. II. bene disterat in mortario. ubi bene distriverit, farinæ siligineæ libram, aut si voles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem indito, permiscetoque cum caseo bene. ovum I. addito, & una permisceto bene. Inde panem facito. Folia subdito. in foco caldo sub testu coquito leniter.

LXXVI. Placentam sic facito. Farinæ siligineæ L. II. unde solum facias in tracta, farinæ L. IV. & alicæ primæ L. II. alicam in aquam infundito. ubi be-

ne mollis erit, in mortarium purum indito, ficcatoque bene. Deinde manibus depfito. ubi bene fubactum erit, farinæ L. IV. paulatim addito. id utrumque tracta facito. In qualo, ubi arefcant, componito. ubi arebunt, componito puriter. Tum facies in fingula tracta. ubi depfueris, panno oleo uncto tangito, & circumtergeto, unguitoque ubi tracta erunt. Focum, ubi coquas, calfacito bene, & teftum. Poftea farinæ L. II. confpergito, condepfitoque. Inde facito folum tenue cafei ovilli P. XIV. ne acidum fiet & bene recens, in aquam indito. ibi macerato, aquam ter mutato. Inde eximito, ficcatoque bene paulatim manibus, ficcum bene in mortarium imponito. Ubi omne cafeum bene ficcaveris, in mortarium purum manibus condepfito, comminuitoque quam maxime. Deinde cribrum farinarium purum fumito, cafeumque per cribrum facito tranfeat in mortarium. Poftea indito mellis boni P. IV. S. id una bene commifceto cum cafeo. Poftea in tabula pura, quæ pateat P. I. ibi balteum ponito, folia laurea uncta fupponito, placentam fingito. Tracta fingula in totum folum primum ponito, deinde de mortario tracta linito, tracta addito fingulatim, item linito ufque adeo, donec omne cafeum cum melle adufus eris. In fummum tracta fingula indito, poftea folum contrahito ornatoque focum. * de ve primo, temperatoque, tunc placentam imponito, tefto caldo operito, pruna infuper, & circum operito. Videto, ut bene & otiofe percoquas. aperito, dum infpicias, bis aut ter. ubi cocta erit, eximito, & melle unguito. hæc erit placenta femodialis.

LXXVII. Spiram ſic facito. Quantum voles pro ratione, ita uti placenta ſit, eadem omnia facito, niſi alio modo fingito in ſolo tracta. cum melle oblinito bene. Inde tanquam reſtim tractes facito, ita imponito in ſolo, ſimplicibus completo bene arcte. Cetera omnia, quaſi placentam facias, facito, coquitoque.

LXXVIII. Scriblitam ſic facito. In balteo tractes caſeo, ad eundem modum facito, uti placentam ſine melle.

LXXIX. Globos ſic facito. Caſeum cum alica ad eundem modum miſceto. inde quantos voles facere facito. in ahenum caldum unguen indito. Singulos aut binos coquito, verſatoque crebro duabus rudibus; coctos eximito. eos melle unguito, papaver infriato, ita ponito.

LXXX. Encytum ad eundem modum facito, uti globos, niſi calicem pertuſum cavum habeat. ita in unguen caldum fundito. honeſtum quaſi ſpiram facito. idque duabus rudibus verſato, præſtatoque. item unguito, coloratoque, caldum ne nimium. id cum melle, aut cum mulſo apponito.

LXXXI. Erneum tanquam placentam, eadem omnia indito, quæ in placentam. id permiſceto in alveo. Indito in hirneam fictilem, eam demittito in aulam aheneam aquæ calidæ plenam. ita coquito ad ignem. Ubi coctum erit, hirneam confringito, ita ponito.

LXXXII. Spæritam ſic facito, ita uti ſpiram, niſi ſic fingito detractis caſeo, melle, ſphæras pugnum altas facito. Eas in ſolo componito, denſas

eodem modo componito, atque ſpiram, itemque coquito.

LXXXIII. Votum pro bubus, ut valeant, ſic facito. Marti Silvano in ſilva interdius, in capita ſingula boum votum facito farris adorei libras III. & lardi P. IV. S. & pulpæ P. IV. S. vini ſextarios tres. Id in unum vas liceto conjicere, & vinum item in unum vas liceto conjicere. Eam rem divinam vel ſervus, vel liber licebit faciat. Ubi res divina facta erit, ſtatim ibidem conſumito. Mulier ad eam rem divinam ne adſit, neve videat quomodo fiat. Hoc votum in annos ſingulos, ſi voles, licebit vovere.

LXXXIV. Savillum hoc modo facito. Farinæ ſelibram, caſei P. II. S. una commiſceto quaſi libum mellis P. =— & ovum unum. Catinum fictile oleo unguito. Ubi omnia bene commiſcueris, in catinum indito. Catinum texto operito. videto ut bene percoquas medium, ubi altiſſimum eſt. ubi coctum erit, catinum eximito, melle unguito, papaver infriato, ſub textum ſubde pauliſper, poſtea eximito. ita pone cum catillo, & lingulis.

LXXXV. Pultem Punicam ſic coquito. Libram alicæ in aquam indito, facito uti bene madeat. Id infundito in alveum purum, eo caſei recentis P. III. mellis P. S. ovum unum, omnia una permiſceto bene. Ita inſipito in aulam novam.

LXXXVI. Graneam triticeam ſic facito. Selibram tritici puri in mortarium purum indat, lavet bene, corticemque deterat bene, eluatque bene. Poſtea in aulam indat, & aquam puram, coquatque.

Ubi coctum erit, lacte addat paulatim usque adeo, donec cremor crassus erit factus.

LXXXVII. Amulum sic facito. Siliginem purgato bene, postea in alveum indat, eo addat aquam bis in die. Die decimo aquam exsiccato, exurgeto bene, in alveo puro misceto bene, facito tanquam fæx fiat. Id in linteum novum indito, exprimito cremorem in patinam novam, aut in mortarium. id omne ita facito, & refricato denuo. Eam patinam in sole ponito, arescat. ubi arebit, in aulam novam indito, inde facito cum lacte coquat.

LXXXVIII. Salem candidum sic facito. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ, in sole ponito: ibi fiscellam cum sale populari suspendito, & quassato, suppletoque identidem. Id aliquoties in die quotidie facito, usque adeo donec sal desiverit tabescere biduum. Id signi erit, mænam aridam, vel ovum demittito: si natabit, ea muries erit, vel carnem, vel caseos, vel salsamenta quo condias. Eam muriam in labella, vel in patinas in sole ponito. Usque adeo in sole habeto, donec concreverit. inde flos salis fiet. Ubi nubilabitur, & noctu sub tecto ponito. Quotidie, cum sol erit, in sole ponito.

LXXXIX. Gallinas & anseres sic farcito. Gallinas teneras, quæ primum parient, concludat, polline, vel farina ordeacea conspersa turundas faciat. eas in aquam intinguat, in os indat. paulatim quotidie addat. ex gula consideret, quod satis fiet. Bis in die farciat, & meridie bibere dato, nec plus aqua sita fiet horam unam. Eodem modo anserem

alito, nisi, prius dato bibere, & bis in die, bis escam.

XC. Palumbum recentem ut prensus erit, ei fabam coctam tostam primum dato. ex ore in ejus os inflato item aquam. hoc dies VII. facito. Postea fabam fresam puram, & far purum facito, & fabæ tertia pars ut infervescat. Cum far insipiat, puriter facito, & coquito bene. id ubi excoxeris, depsito bene, oleo manum unguito. primum pusillum, postea magis depses, oleo tangito depsitoque, dum poteris facere turundas, ex aqua dato, escam temperato.

XCI. Aream sic facito. Locum ubi facies confodito, postea amurca conspergito bene, sinitoque combibat. Postea comminuito glebas bene. Deinde coæquato, & paviculis verberato. Postea denuo amurca conspergito, sinitoque arescat. Si ita feceris, neque formicæ nocebunt, neque herbæ nascentur.

XCII. Frumento ne noceat curculio, neu mures tangant, lutum de amurca facito, palearum paulum addito, sinito macerescant bene, & subigito bene, eo granarium totum oblinito crasso luto, postea conspergito amurca omne quod lutaveris. Ubi aruerit, eo frumentum refrigeratum condito, curculio non nocebit.

XCIII. Olea si fructum non feret, ablaqueato. Postea stramenta circumponito. Postea amurcam cum aqua commisceto æquas partes. Deinde ad oleam circumfundito, ad arborem maximam urnam commixti sat est. Ad minores arbores pro ra-

tione indito. Et idem hoc ſi facies ad arbores feraces, eæ quoque meliores fient. Ad eas ſtramenta ne addideris.

XCIV. Fici uti groſſos teneant, facito omnia, quo modo oleæ, & hoc amplius. Cum ver appetet, terram adaggerato bene. Si ita feceris, & groſſi non cadent, & fici ſcabræ non fient, & multo feraciores erunt.

XCV. Convolvulus in vinea ne fiet, amurcam condito, puram bene facito, in vas ahenum indito congios II. poſtea igni leni coquito, rudicula agitato crebro, uſque adeo, dum fiat tam craſſum, quam mel. Poſtea ſumito bituminis tertiarium, & ſulfuris quartarium. Conterito in mortario ſeorſum utrumque. Poſtea infriato quam minutiſſime in amurcam caldam, & ſimul rudicula miſceto, & denuo coquito ſub dio. nam ſi in tecto coquas, cum bitumen & ſulfur additum eſt, excandeſcet. Ubi erit tam craſſum, quam viſcum, ſinito frigeſcat. Hoc vitem circum caput, & ſub brachia unguito, convolvulus non naſcetur.

XCVI. Oves ne ſcabræ fiant, amurcam condito, puram bene facito, aquam, ubi lupinus deferverit, & fæcem de vino bono inter ſe omnia commiſceto pariter. Poſtea cum detonderis, unguito totas, ſinito biduum aut triduum conſudent. Deinde lavito in mari: ſi aquam marinam non habebis, facito aquam ſalſam, ea lavito. Si hæc ſic feceris, neque ſcabræ fient, & lanæ plus, & meliorem habebunt, & ricini non erunt moleſti. Eodem in omnes quadrupedes utito, ſi ſcabræ erunt.

XCVII. Amurca decocta axem unguito, & lora, & calciamenta, & coria : omnia meliora facies.

XCVIII. Vestimenta ne tineæ tangant; amurcam decoquito ad dimidium; ea unguito fundum arcæ, & extrinsecus, & pedes, & angulos. Ubi ea adaruerit, vestimenta condito. Si ita feceris, tineæ non nocebunt. Et item ligneam supellectilem omnem si ungues, non putescet : & cum ea terseris, splendidor fiet. Item ahenea omnia unguito, sed prius extergeto bene. Postea cum unxeris, cum uti voles, extergeto, splendidior erit, & ærugo non erit molesta.

XCIX. Fici aridæ si voles ut integræ sint, in vas fictile condito. id amurca decocta unguito.

C. Oleum si in metretam novam inditurus eris, amurca ita uti est cruda prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat. Id si feceris, metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet, & ipsa metreta firmior erit.

CI. Virgas murteas si voles cum bacis servare, & idem aliud genus quod vis, & si ramulos ficulneos voles cum foliis, inter se alligato, fasciculos facito, eos in amurcam demittito, supra stet amurca facito. Sed ea, quæ demissurus eris, sumito paulo acerbiora. Vas, quo condideris, oblinito plane.

CII. Si bovem, aut aliam quamvis quadrupedem serpens momorderit, Melanthii cætabulum, quod medici vocant smyrneum, conterito in vini veteris hemina. Id per nares indito, & ad ipsum morsum stercus suillum apponito. Et idem hoc (si usus venerit) homini facito.

CIII. Boves uti valeant, & curati bene ſient, & qui faſtidient cibum, uti magis cupide appetant, pabulum, quod dabis, amurca ſpargito; primo paululum, dum conſueſcant, poſtea magis, & dato rarenter bibere commixtam cum aqua æquabiliter quarto quinto quoque die. hoc ſic facies, ita boves & corpore curatiores erunt, & morbus aberit.

CIV. Vinum familiæ per hiemem qui utatur. Muſti quadrantalia x. in dolium indito, aceti acris quadrantalia II. Eodem infundito ſapæ quadrantalia duo, aquæ dulcis quadrantalia L. Hæc rude miſceto ter in die, dies v. continuos. Eo addito aquæ marinæ veteris ſextarios LXIV. & operculum in dolium imponito, & oblinito dies x. Hoc vinum durabit tibi uſque ad ſolſtitium. Si quid ſuperfuerit poſt ſolſtitium, acetum acerrimum & pulcherrimum erit.

CV. Qui ager longe a mari aberit, ibi vinum Græcum ſic facito. Muſti quadrantalia XX. in aheneum aut plumbeum infundito, ignem ſubdito. ubi bullabit vinum, ignem ſubducito. ubi id vinum refrixerit, in dolium quadragenarium infundito, ſeorſum in vas aquæ dulcis quadrantal I. infundito. Salis $\overset{\circ}{M}$ I. ſinito muriam fieri. Ubi muria facta erit, eodem in dolium infundito. Schœnum & calamum in pila contundito, quod ſiet ſextarium unum eodem in dolium infundito, ut odoratum ſiet. Poſt dies XXX. dolium oblinito. Ad ver diffundito in amphoras. Biennium in ſole ſinito poſitum eſſe. deinde in tectum

conferto. Hoc vinum deterius non erit, quam Coum.

CVI. Aquæ marinæ quadrantal I. ex alto ſumito, quo aqua dulcis non accedit, ſeſquilibram ſalis frigito, eodem indito, & rude miſceto uſque adeo, donec ovum gallinaceum coctum natabit, deſinito miſcere. Eodem vini veteris, vel aminnii, vel miſcelli albi congios II. infundito, miſceto probe. Poſtea in vas picatum confundito, & oblinito. Si quis plus voles aquæ marinæ concinnare, pro proportione ea omnia facito.

CVII. Quo labra doliorum circumlinas, ut bene odorata ſient, & ne quid vitii in vinum accedat. Sapæ congios VI. quam optime infundito in aheneum, aut in plumbeum; & iris aridæ contuſæ heminam, & ſertam Campanicam P. V. bene odoratam, una cum iri contundas quam minutiſſime, per cribrum cernas, & una cum ſapa coquas ſarmentis, & levi flamma. Commoveto, videto, ne aduras, uſque coquito, dum dimidium excoquas. Ubi refrixerit, confundito in vas picatum bene odoratum, & oblinito, & utito in labra doliorum.

CVIII. Vinum ſi voles experiri, duraturum ſit, necne, polentam grandem dimidium acetabuli in caliculum novum indito, & vini ſextarium de eo vino, quod voles experiri, eodem infundito, & imponito in carbones, facito bis aut ter inferveat. Tum id percolato, polentam abjicito. Vinum ponito ſub dio. Poſtridie mane guſtato. Si id ſapiet, quod in dolio eſt, ſcito duraturum. Si ſubacidum erit, non durabit.

CIX. Vinum asperum quod erit, lene & suave si voles facere, sic facito. De ervo farinam facito lib. IV. & vini cyathos IV. conspergito sapa. Postea facito laterculos. Sinito combibant noctem & diem. postea commisceto cum eo vino in dolio, & oblinito dies LX. Id vinum erit lene, & suave, & bono colore, & bene odoratum.

CX. Odorem deteriorem demere vino si voles, testam de tegula crassam puram calfacito in igni bene. Ubi calebit, eam picato, resticula alligato, testam demittito in dolium infimum leniter, sinito biduum oblitum dolium: si demtus erit odor deterior, id optime; si non, sæpius facito, usque dum odorem malum demseris.

CXI. Si voles scire, in vinum aqua addita sit, necne, vasculum facito de materia ederacea. Vinum id, quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit. nam non continet vinum vas ederaceum.

CXII. Vinum Coum si voles facere, aquam ex alto marinam sumito, mari tranquillo, cum ventus non erit, dies LXX. ante vindemiam, quo aqua dulcis non perveniet. Ubi hauseris de mari, in dolium fundito, nolito implere, quadrantalibus V. minus sit, quam plenum. operculum imponito, relinquito qua interspiret. Ubi dies XXX præterierint, transfundito in alterum dolium puriter & leviter. relinquito in imo, quod desederit. Post dies XX in alterum dolium item transfundito; ita relinquito usque ad vindemiam. Unde vinum Coum facere voles, uvas relinquito in vinea, sinito bene coquantur. & ubi

pluerit, & ſiccaverit, tum deligito, & ponito in ſole biduum, aut triduum ſub dio, ſi pluviæ non erunt. ſi pluvia erit, in tecto in cratibus componito, & ſi qua acina corrupta erunt, depurgato. Tum ſumito aquam marinam Q. S. S. E. in dolium quinquagenarium infundito aquæ marinæ Q. X. Tum acina de uvis miſcellis decerpito, de ſcopio, in idem dolium uſque dum impleveris, manu comprimito, ut combibant aquam marinam. ubi impleveris dolium, operculo operito, relinquito qua interſpiret. Ubi triduum præterierit, eximito de dolio, calcato in torculario, & id vinum condito in dolia lauta, & pura, & ſicca.

CXIII. Ut odoratum bene ſiet, ſic facito: ſumito teſtam picatam: eo prunam lenem indito, ſuffito ſerta, & ſchœno, & palma, quam habent unguentarii, ponito in dolio, & operito, ne odor exeat, antequam vinum indas. Hoc facito pridie, quam vinum infundere voles, de lacu quam primum vinum in dolia indito, ſinito dies XV. operta antequam oblinas, relinquito qua interſpiret vinum. poſtea oblinito. Poſt dies XL. diffundito in amphoras, & addito in ſingulas amphoras ſapæ ſextarium unum. Amphoras nolito implere nimium, anſarum infimarum fini. & amphoras in ſole ponito, ubi herba non ſiet. & amphoras operito, ne aqua accedat, & ne plus quatriduum in ſole ſiveris. Poſt quatriduum in culleum componito, & inſtipato.

CXIV. Vinum ſi voles concinnare, ut alvum bonam faciat, ſecundum vindemiam, ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei ſatis eſſe vini, tot

vites ablaqueato, & ſignato. earum radices circumſecato, & purgato. Veratri radices contundito in pila, eas radices dato circum vitem. & ſtercus vetus, & cinerem veterem, & duas partes terræ circumdato radices vitis. terram inſuper injicito. Hoc vinum ſeorſum legito. Si voles ſervare in vetuſtatem, ad alvum movendam ſervato, nec commiſceas cum cetero vino. De eo vino cyathum ſumito, & miſceto aqua, & bibito ante cœnam. Sine periculo alvum movebit.

CXV. In vinum muſtum veratri atri manipulum conjicito in amphoram. ubi ſatis efferverit, de vino manipulum ejicito, id vinum ſervato ad alvum movendam. Vinum ad alvum movendam concinnare ſi voles: vites cum ablaqueabuntur, ſignato rubrica, ne admiſceas cum cetero vino. Treis faſciculos veratri atri circumponito circum radices, & terram inſuper injicito. Per vindemiam de iis vitibus, quod delegeris, ſeorſum ſervato, cyathum in ceteram potionem indito, alvum movebit, & poſtridie perpurgabit ſine periculo.

CXVI. Lentim quomodo ſervari oporteat. Laſerpitium aceto diluito, permiſceto lentim aceto laſerpitiato, & ponito in ſole. Poſtea lentim oleo perfricato, ſinito areſcat, ita integra ſervabitur recte.

CXVII. Oleæ albæ quemadmodum condiantur. Antequam nigræ fiant, contundantur, & in aquam dejiciantur, crebro aquam mutet. Deinde ubi ſatis maceratæ erunt, exprimat, & in acetum conjiciat, & oleum addat, ſalis ſelibram in modium olearum.

Fœniculum & lentiſcum ſeorſum condat in acetum. Si una admiſcere voles, cito utitor, in orculam calcato manibus ſiccis. cum uti voles, ſumito.

CXVIII. Oleam albam, quam ſecundum vindemiam uti voles, ſic condito. Muſti tantundem addito, quantum aceti. Cetera item condito ita, uti ſupra ſcriptum eſt.

CXIX. Epityrum album, nigrum, variumque ſic facito. Ex oleis albis, nigris variiſque nucleos ejicito. Sic condito. Concidito ipſas: addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, fœniculum, rutam, mentam. in orculam condito, oleum ſupra ſiet, ita utitor.

CXX. Muſtum ſi voles totum annum habere, in amphoram muſtum indito, & corticem oppicato, demittito in piſcinam. poſt XXX. diem eximito. totum annum muſtum erit.

CXXI. Muſtaceos ſic facito. Farinæ ſiligineæ modium unum muſto conſpergito. Aniſum, cuminum, adipis P. II. caſei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi deſinxeris, lauri folia ſubtus addito, cum coques.

CXXII. Vinum concinnare, ſi lotium difficilius tranſibit. Capreidam, vel juniperum contundito in pila, libram indito in duobus congiis vini veteris in vaſe aheneo, vel in plumbeo defervefacito. ubi refrixerit, in lagœnam indito. id mane jejunus cyathum ſumito. proderit.

CXXIII. Vinum ad iſchiacos ſic facito. De junipero materiam ſemipedem craſſam concidito minutim. Eam infervefacito cum congio vini veteris.

ubi refrixerit, in lagœnam confundito, & postea id utito vini cyathum mane jejunus. proderit.

CXXIV. Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores & vigilantiores fiat.

CXXV. Vinum murteum sic facito. Murtam nigram arfacito in umbra. ubi jam passa erit, servato ad vindemiam, in urnam musti contundito murtæ semodium, id oblinito. Ubi desiverit fervere mustum, murtam eximito. Id est ad alvum crudam, & ad lateris dolorem, & ad cœliacum.

CXXVI. Ad tormina, & si alvus non consistet, & si tineæ, & lumbrici molesti erunt, XXX mala Punica acerba sumito, contundito, indito in urceum, & vini nigri austeri congios tres, vas oblinito. post dies XXX. aperito, & utito: jejunus heminam bibito.

CXXVII. Ad dyspepsiam & stranguriam [mederi]. Malum Punicum ubi florebit, colligito. Tris minas in amphoram infundito. Vini Q. I. veteris addito, & fœniculi radicem puram contusam minam. Oblinito amphoram, & post dies XXX aperito & utitor. Ubi voles cibum concoquere, & lotium facere, hinc bibito, quantum voles, sine periculo. Idem vinum tinias perpurgat, & lumbricos, si sic concinnes. Incœnatum jube esse, postridie turis drachmam I. conterito, & mel coctum drachmam unam, & vini sextarium origaniti, dato jejuno, & puero pro ætate triobolum, & vini heminam. Supra pilam inscendat, & saliat decies, & deambulet.

CXXVIII. Si habitationem delutare vis, terram quam maxime cretosam, vel rubricosam sumito,

eo amurcam infundito, paleas indito. finito quatriduum fracescat. ubi bene fracuerit, rutro concidito. ubi concideris, delutato. Ita neque aspergo nocebit, neque mures cava facient, neque herba nascetur, neque lutamenta scindent se.

CXXIX. Aream ubi frumentum teratur, sic facito. Confodiatur minute terra, amurca bene conspergatur, ut combibat quam plurimum. comminuito terram, & cylindro aut pavicula coæquato. ubi coæquata erit, neque formicæ molestæ erunt, & cum pluerit, lutum non erit.

CXXX. Codicillos oleaginos, & cetera ligna amurca cruda persspergito, & in sole ponito, perbibant bene. Ita neque fumosa erunt, & ardebunt bene.

CXXXI. Dapem pro bubus piro florente facito. Postea verno arare incipito. Ea loca primum arato, quæ rudeata arenosaque erunt. Postea uti quæque gravissima atque aquosissima erunt, ita postremo arato.

CXXXII. Dapem hoc modo fieri oportet. Jovi dapali culignam vini quantum vis polluceto. Eo die feriæ bubus & bubulcis, & qui dapem facient. Cum pollucere oportebit, sic facies. Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo familia mea culignam vini dapi, ejus rei ergo macte hac illace dape pollucenda esto. Manus interluito. Postea vinum sumito. Juppiter dapalis, macte istace dape pollucenda esto. Macte vino inferio esto. Vestæ, si voles, dato. Daps Jovi assaria pecuina, urna vini Jovi caste. Profanato sine contagione. Postea dape facta serito milium, panicum, alium, lentim.

CXXXIII. Propagatio pomorum, ceterarumque arborum. Arboribus ab terra pulli qui nati erunt, eos in terram deprimito, extollito, uti radicem capere possint. Inde, ubi tempus erit, effodito, seritoque recte. Ficum, oleam, malum Punicum, mala struthea, cotonea, aliaque mala omnia, laurum Cypriam, Delphicam, prunum, myrtum conjugulum, & myrtum album & nigrum, nuces Avellanas, Prænestinas, platanum: hæc omnia genera a capitibus propagari eximique ad hunc modum oportebit. Quæ diligentius seri voles, in calicibus seri oportet. In arboribus radices uti capiant, calicem pertusum sumito tibi, aut quasillum, per eum ramulum transferito, eum quasillum terra impleto, calcatoque, in arborem relinquito. Ubi bimum erit, ramum tenerum infra præcidito, cum quasillo serito. Eo modo quod vis genus arborum facere poteris, uti radices bene habeant. Item vitem in quasillum propagato, terraque bene operito, anno post præcidito, cum qualo serito.

CXXXIV. Priusquam messim facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porco femina, priusquam hasce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, semen rapicium; ture, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato. Priusquam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater, de hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiæque meæ. Ferctum Jovi moveto & mactato sic: Juppiter te hoc fercto obmovendo bonas pre-

ces precor, uti ſies volens propitius mihi liberiſque meis, domo familiæque meæ mactus hoc fercto. Poſtea Jano vinum dato ſic: Jane pater, uti te ſtrue commovenda bonas preces bene precatus ſum, ejuſdem rei ergo macte vino inferio eſto. Poſtea Jovi ſic: Juppiter macte fercto eſto. macte vino inferio eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Ubi exta proſecta erunt, Jano ſtruem commoveto, mactatoque item, uti prius obmoveris. Jovi ferctum obmoveto, mactatoque item, uti prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti prius datum ob ſtruem obmovendam, & ferctum libandum. Poſtea Cereri exta & vinum dato.

CXXXV. Romæ tunicas, togas, ſaga, centones, ſculponeas: Calibus & Minturnis cuculliones, ferramenta, falces, palas, ligones, ſecures, ornamenta, murices, catellas: Venafro, palas. Sueſſæ, & in Lucanis ploſtra, treblæ Albæ: Romæ dolia, labra: tegulæ ex Venafro. Aratra in terram validam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica, juga Romanica optima erunt. Vomis indutilis optimus erit. Trapeti Pompejis. Nolæ ad Rufri maceriam claves. Cloſtra Romæ. Hamæ, urnæ oleariæ, urcei aquarii, urnæ vinariæ, alia vaſa ahenea Capuæ. Nolæ fiſcinæ Campanicæ. [Hæ hamæ utiles ſunt.] Funis ſubductarius, ſpartum omne Capuæ. Fiſcinas Romanicas Sueſſæ, Caſino. Eæ optimæ erunt Romæ. Funem torculum ſi quis faciet Caſini L. Tunnius. Venafri C. Mennius L. F. eo indere oportet coria bona VIII. Noſtratia recentia quæ depſta ſient, quam minimum ſalis habeant, ea

depſere & unguere unguine prius oportet, tum ſiccare : funem exordiri oportet longum pedes LXXII. toros III. habeat, lora in toros ſingulos IX. lata digitos II. Cum tortus erit longus pedes XLIX. In commiſſura abibunt pedes III. reliquum erit pedes XLVI. Ubi extentus erit, accedent P. V. longus erit P. LI. Funem torculum extentum longum eſſe oportet pedes LV, maximis vaſis : minoribus pedes LI. Funem loreum in ploſtrum juſtum pedes LX. ſemiſunium pedes XLV. lora retinacula in ploſtrum ped. XXXVI. ad aratrum ped. XXVI. lora prædu-ctoria ped. XXVII. S. ſubjugia in luſtrum lora ped. XIX. funiculum P. XV. in aratrum ſubjugia lora P. XII. funiculum ped. VIII. Trapetos latos maximos ped. IV. S. orbis altos ped. III. S. orbis medios ex lapicidinis cum eximet craſſos pedem, & palmum inter miliarium, & labrum ped. II. digitos II. labra craſſa digitum. Secundarium trapetum latum ped. IV. & palmum inter miliarium, & labrum pes unus, digitus unus, labra craſſa digitos V. orbes altos ped. III. & digitos V. craſſos ped. I. & digitos III. Foramen in orbes ſemiped. quoquoverſum facito. Tertium trapetum latum ped. IV. inter miliarium, & labrum ped. I. labrum dig. V. orbis altus ped. III. digitos III. craſſos ped. I. digitos II. Trapetum ubi arvectum erit, ubi ſtatues, ibi & commodato, concinnatoque.

CXXXVI. Politionem quo pacto dari oporteat. in agro Caſinate & Venafro, in loco bono parte octava corbi dividat, ſatis bono ſeptima, tertio loco ſexta, ſi granum modio dividet, parti quinta.

in Venafro ager optimus IX. parti corbi dividat. Si communiter pisunt, qua ex parte politori pars est, eam partem in pistrinum politor. Ordeum quinta modio, fabam quinta modio dividat.

CXXXVII. Vineam curandam partiario bene curet; fundum, arbustum, agrum frumentarium. Partiario fœnum & pabulum, quod bubus satis fiet, qui illic fient. Cetera omnia pro indiviso.

CXXXVIII. Boves feriis conjungere licet. Hoc licet facere, arvehant ligna, fabalia, frumentum, quod non daturus erit. Mulis, equis, asinis feriæ nullæ, nisi si in familia sunt.

CXXXIX. Lucum conlucare Romano more sic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito: Si Deus, si Dea es, quojum illud sacrum est, uti tibi jus fiet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id recte factum fiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo familiæque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.

CXL. Si fodere velis, altero piaculo, eodem modo facito, hoc amplius dicito, operis faciundi causa: cum opus, quotidie per partes facito. Si intermiseris, aut feriæ publicæ aut familiares intercesserint, altero piaculo facito.

CXLI. Agrum lustrare sic oportet. Impera suovitaurilia circumagi. Cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, uti illace suovitaurilia fundum, agrum, terramque meam, quota

ex parte five circumagi, five circumferenda cenſeas, uti cures luſtrare. Janum, Jovemque vino præfamino, fic dicito : Mars pater, te precor, quæſoque uti fies volens propitius mihi, domo familiæque noſtræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundumque meum ſuovitauralia circumagi juſſi. uti tu morbos viſos, inviſoſque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperiaſque, prohibeſſis, defendas, averrunceſque. utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire ſinas. paſtores, pecuaque ſalva ſervaſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domo, familiæque noſtræ. Harumce rerum ergo fundi, terræ agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo, ſicuti dixi, macte hiſce ſuovitaurilibus lactentibus immolandis eſto. Mars pater, ejuſdem rei ergo, macte hiſce ſuovitaurilibus lactentibus eſto. Item cultro facito ſtruem, & fertum uti aſſiet. Inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum, vitulumque, ſic oportet. Ejuſque rei ergo macte hiſce ſuovitaurilibus immolandis eſto. Nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, ſic verba concipito : Mars pater, ſi quid tibi in illiſce ſuovitaurilibus lactentibus, neque ſatisfactum eſt, te hiſce ſuovitaurilibus piaculo. Si uno, duobuſve dubitaverit, ſic verba concipito : Mars pater, quod tibi illuc porco, neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo.

CXLII. Vilici officia quæ ſunt, quæ dominus præcepit, ea omnia, quæ in fundo fieri oportet, quæque emi pararique oportet. quomodoque cibaria,

vestimenta familiæ dari oportet, eadem uti curet, faciatque moneo, dominoque dicto audiens sit. Hoc amplius, quomodo vilicam uti oportet, & quomodo eæ imperari oportet, uti adventu domini, quæ opus sunt, parentur, curenturque diligenter.

CXLIII. Vilicæ quæ sunt officia, curato faciat. Si eam tibi dederit dominus uxorem, ea esto contentus. Ea te metuat. Facito, ne nimium luxuriosa siet. Vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur. neve domum, neve ad sese recipiat. ad cœnam ne quo eat, neve ambulatrix siet. Rem divinam ni faciat, neve mandet, qui pro ea faciat, injussu domini aut dominæ. Scito dominum pro tota familia rem divinam facere. Munda siet. Villam conversam mundamque habeat. Focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erit, coronam in focum indat. Per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet. Cibum tibi & familiæ curet uti coctum habeat. Gallinas multas & ova uti habeat. Pira arida, sorba, ficos, uvas passas, sorba in sapa; & pira, & uvas in doliis, & mala struthea. Uvas in vinaceis, & in urceis, in terra obrutas. Et nuces Prænestinas recentes in urceo in terra obrutas habeat. Mala Scantiana in doliis, & alia, quæ condi solent, & silvatica. Hæc omnia quotannis diligenter uti condita habeat. Farinam bonam, & far subtile sciat facere.

CXLIV. Oleam legendam hoc modo locare oportet. Oleam cogito recte omnem arbitratu domini, aut quem custodem fecerit, aut cui olea venierit.

Oleam ne ſtringito, neve verberato injuſſu domini aut cuſtodis. Si adverſus ea quis fecerit, quod ipſe eo die delegerit, pro eo nemo ſolvet, neque debebitur. Oleam qui legerint, omnes juranto ad dominum, aut ad cuſtodem, ſeſe oleam non ſurripuiſſe, neque quemquam ſuo dolo malo, ea oleitate ex fundo L. Manlii. Qui eorum non ita juraverit, quod is legerit omne, pro eo argentum nemo dabit, neque debebitur. oleam cogi recte, ſatis dato arbitratu L. Manlii. Scalæ ita uti datæ erunt, ita reddito, niſi quæ vetuſtate fractæ erunt. Si non erunt, reddet æquas, aut arbitratu deducetur. Si quid redemtoris opera domino damni datum erit, reſolvito. Id viri boni arbitratu deducetur. Legulos, quot opus erunt, præbeto, & ſtrictores. Si non præbuerit, quanti conductum erit, aut locatum erit, deducetur. tanto minus debebitur. De fundo ligna & oleam ne deportato. Qui oleam legerit, qui deportarit, in ſingulas deportationes SS. N. II. deducentur, neque id debebitur. Omnem oleam puram metietur modio oleario. aſſiduos homines quinquaginta præbeto, duas partes ſtrictorum præbeto. Ne quis concedat, quo olea legunda & faciunda carius locetur. extra quam ſi quem ſocium impræſentiarum dixerit. Si quis adverſum ea fecerit, ſi dominus aut cuſtos volent, jurent omnes ſocii. Si non ita juraverint, pro ea olea legunda & faciunda nemo dabit, neque debebitur ei, qui non ita juraverit. Acceſſiones in $\overset{\circ}{M}$ ∞ .CC. accedit oleæ ſalſæ $\overset{c}{M}$ V. olei puri P. IX. in tota oleitate SS. V. aceti quadrantalia V. Quod oleæ ſalſæ non accepe-

rint, dum oleam legent, in modios ſingulos ss. s. s. dabuntur.

CXLV. Oleam faciundam hac lege oportet locare. Facito recte arbitratu domini, aut custodis, qui id negotium curabit. Si ſex jugis vaſis opus erit, facito. Homines eos dato, qui placebunt aut custodi, aut quis eam oleam emerit. Trapeti facito. Si operarii conducti erunt, aut facienda locata erit, pro eo reſolvito, aut deducetur. Oleum ne tangito utendi cauſa, neque furandi cauſa, niſi quod custos dederit, aut dominus. Si ſumſerit, in ſingulas ſumſiones ss. N. XL. deducentur, neque debebitur. Factores, qui oleum fecerint, omnes juranto aut ad dominum, aut ad custodem, ſeſe de fundo L. Manlii, neque alium quemquam ſuo dolo malo, oleum, neque oleam ſurripuiſſe. Qui eorum non ita juraverit, quæ ejus pars erit, omne deducetur, neque debebitur. Socium ne quem habeto, niſi quem dominus juſſerit, aut custos. Si quid redemtoris opera domino damni datum erit, viri boni arbitratu deducetur. Si viride oleum opus ſiet, facito accedere oleum, & ſal ſuæ uſioni, quod ſatis ſiet, vaſarium vict. II.

CXLVI. Oleam pendentem hac lege venire oportet. Olea pendens in fundo Venafro venibit. Qui oleam emerit, amplius, quam quanti emerit, omnis pecuniæ centeſima accedet. Præconium præſens ss. L. & oleum, Romanici pondo 8 D. viridis P. CC. oleæ caducæ $^{O}_{M}$ L. ſtrictivæ $^{O}_{M}$ X. modio oleario menſum dato. unguinis pondo X. Ponderibus modiiſque domini dato * iri primæ cotulas duas. Dies ar-

gento ex Kalend. Nov. mensium x. oleæ legendæ faciundæ quæque locata est, & si emtor locarit, Idibus solvito. Recte hæc dari, fierique, satisque dari domino, aut cui jusserit, promittito, satisque dato arbitratu domini. Donicum solutum erit, aut ita satis datum erit, quæ in fundo illata erunt, pigneri sunto. Ne quid eorum de fundo deportato. Si quid deportaverit, domini esto. Vasa torcula, funes, scalas, trapetos, si quid & aliud datum erit, salva recte reddito, nisi quæ vetustate fracta erunt. Si non reddet, æquum solvito. Si emtor legulis & factoribus, qui illic opus fecerint, non solverit, cui dari oportebit, si dominus volet, solvat. Emtor domino debeto, & id satis dato, proque ea re ita, uti S. S. E. item pigneri sunto.

CXLVII. Hac lege vinum pendens venire oportet. Vinaceos illutos, & fæcem relinquito. Locus vinis ad Kalend. Octob. primas dabitur. si non ante ea exportaveris, dominus vino, quid volet, faciet. Cetera lex, quæ oleæ pendenti.

CXLVIII. Vinum in doliis hoc modo venire oportet. Vini in culleos singulos quadragenæ & singulæ urnæ dabuntur, quod neque aceat, neque muceat, id dabitur. In triduo proximo, viri boni arbitratu, degustato. Si non ita fecerit, vinum pro degustato erit. Quot dies per dominum mora fuerit, quo minus vinum degustet, totidem dies emtori procedent. Vinum accipito ante Kalend. Jan. primas. Si non ante acceperit, dominus vinum admetietur. Quod admensum erit, pro eo dominus resolvito. Si emtor postularit, dominus jusjurandum

dabit, verum fecisse. Locus vinis ad Kalend. Octobres primas dabitur. Si ante non deportaverit, dominus vino quid volet faciet. Cetera lex, quæ oleæ pendenti.

CXLIX. Qua lege pabulum hibernum venire oporteat. Qua vendas, finis dicito. Pabulum frui occipito ex Kalend. Septembribus. prato ficco decedat, ubi pirus florere cœperit: prato irriguo, ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito, vel diem certam utrique facito. Cetero pabulo Kalend. Martiis cedito. Bubus domitis binis, canterio uni, cum emtor pascet, domino pascere recipitur. Oleris, asparagis, lignis, aqua, itinere, actu domini usioni recipitur. Si quid emtor, aut pastores, aut pecus emtoris domino damni dederit, boni viri arbitratu resolvat. Si quid dominus, aut familia, aut pecus emtori damni dederit, viri boni arbitratu resolvetur. donicum pecuniam satisfecerit, aut delegarit, pecus & familia, quæ illic erit, pigneri sunto. Si quid de iis rebus controversiæ erit, Romæ judicium fiat.

CL. Fructum ovium hac lege venire oportet. In singulas casei P. I. S. dimidium aridum, lacte feriis quod mulserit dimidium, & præterea lactis urnam I. Hisce legibus agnus diem & noctem qui vixerit, in fructum, & Kalend. Jun. emtor fructu decedat. Si interkalatum erit, Kalend. Majis. Agnos XXX, ne amplius promittat. Oves, quæ non pepererint, binæ pro singulis in fructu cedent. Die lanam & agnos vendat. Menses X. ab coactore releget. Porcos serarios in oves denas singulos pascat. Conductor

II. menses pastorem præbeat. donec domino satisfecerit, aut solverit, pigneri esto.

CLI. Semen cupressi quando legi, seri, propagarique oporteat, & quo pacto cupresseta seri oporteat, Manius Percennius Nolanus ad hunc modum monstravit. Semen cupressi Tarentinæ per ver legi oportet; materiem, ubi hordeum flavescit. id ubi legeris, in sole ponito, semen purgato. id aridum condito: uti aridum expositum fiet. per ver serito in loco ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant, ubi aqua propter fiet. eum locum stercorato primum bene stercore caprino, aut ovillo. tum vortito bipalio, terram cum stercore bene permisceto, depurgato ab herba graminibusque. Bene terram comminuito. areas facito pedes latas quaternos: subcavas facito, uti aquam continere possint: inter eas sulcos facito, qua herbas de areis purgare possis. ubi areæ factæ erunt, semen serito crebrum, ita uti linum seri solet. eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam succernito. id bene tabula, aut manibus, aut pedibus complanato. Si quando non pluet, uti terra sitiat, aquam irrigato leniter in areas. Si non habebis unde irriges, gerito, inditoque leniter. Quotiescunque opus erit, facito uti aquam addas. Si herbæ natæ erunt, facito uti ab herbis purges. quam tenerrimis herbis, & quoties opus erit, purges per æstatem. Ita uti dictum est, fieri oportet, & ubi semen satum fiet, stramentis operiri oportet, ubi germen nascere cœperit, tum demi.

CLII. De scopis virgeis Q. A. M. Manlii monstra-

verunt. In diebus XXX, quibus vinum legeris, aliquoties facito ſcopas virgeas ulmeas aridas, in aſſerculo alligato, eabus latera doliis intrinſecus uſque bene perfricato, ne fæx in lateribus adhæreſcat.

CLIII. Vinum fæcatum ſic facito. Fiſcinas olearias Campanicas duas illæ rei habeto. eas fæcis impleto, ſub prelumque ſubdito, exprimitoque.

CLIV. Vinum emtoribus ſine moleſtia quomodo admetiaris. Labrum culleare illæ rei facito. id habeat ad ſummum anſas IV. uti transferri poſſitur. id imum pertundito. Ea fiſtulam ſubdito, uti obturarier recte poſſit. & ad ſummum, qua fini culleum capiet, pertundito. id in ſuggeſtu, inter dolia poſitum habeto, uti in culleum, de eo vinum ſalire poſſit. id impleto. poſtea obturato.

CLV. Per hiemem aquam de agro depelli oportet. In monte foſſas inciles puras habere oportet. Prima auctumnitate cum pulvis eſt, tum maxime ab aqua periculum eſt. Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis, ſarculiſque exire oportet, incilia aperire, aquam diducere in vias, & ſegetem curare oportet, uti fluat. In villa cum pluet, circumire oportet, ſicubi perpluat, & ſignare carbone, cum deſierit pluere, uti tegula mutetur. Per ſegetem in frumentis, aut in ſegete, aut in foſſis, ſicubi aqua conſtat, aut aliquid aquæ obſtat, id emittere, patefieri, removerique oportet.

CLVI. [De braſſica quod concoquit.] Braſſica eſt, quæ omnibus oleribus antiſtat. Eam eſto vel coctam, vel crudam. crudam ſi edes, in acetum intinguito. mirifice concoquit. alvum bonam facit,

lotiumque. ad omnes res ſalubre eſt. Si voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam eſto crudam quantum voles ex aceto. & item, ubi cœnaveris, comeſto aliqua v. folia, reddent te quaſi nihil ederis, biberiſque, bibeſque quantum voles. Alvum ſi voles dejicere ſuperiorem, ſumito braſſicæ quæ leviſſima erit, P. IV. inde facito manipulos æquales tres, colligatoque. poſtea ollam ſtatuito cum aqua. ubi occipiet fervere pauliſper, dimittito unum manipulum, fervere deſiſtet. Poſtea ubi occipiet fervere, pauliſper dimittito uſque admodum dum quinquies quinque numeres. tum eximito. Item facito alterum manipulum, item tertium, poſtea conjicito & contundito. item eximito, in linteum exugeto ſucum, quaſi heminam, in pocillum fictile. eo indito ſalis micam quaſi ervum, & cumini fricti tantum quod oleat. poſtea ponito pocillum in ſereno noctu. Qui poturus erit, lavet calida, bibat aquam mulſam, cubet incœnatus. Poſtea mane bibat ſucum, deambuletque horas IV. agat, negotii ſi quid habebit. Ubi libido veniet nauſeæ, eumque apprehendet, decumbat, purgetque ſeſe. tantum bilis, pituitæque ejiciet, uti ipſe miretur, unde tantum ſiet. Poſtea ubi deorſum verſus ibit, heminam, aut paulo plus bibat. Si amplius ibit, ſumito farinæ minutæ conchas duas, infriet in aquam, paulum bibat, conſiſtet. Verum quibus tormina moleſta erunt, braſſicam in aquam macerare oportet. ubi macerata erit, conjicito in aquam calidam, coquito uſque donec ea commadebit bene. aquam defundito. poſtea ſalem addito, & cumini

paululum, & pollinem polentæ. eodem addito & oleum, poſtea fervefacito. infundito in catinum, uti frigeſcat. eo interito, quod volet, cibi poſtea edit. ſed ſi poterit ſolam braſſicam eſſe, edit. Et ſi ſine febre erit, dato vini atri duri. Aquæ tum bibat quam minimum. Si febris erit, aquam. Id facito quotidie mane. Nolito multum dare, ne pertædeſcat, uti poſſit porro libenter eſſe. Ad eundem modum viro & mulieri, & puero dato. Nunc de illis, quibus ægre lotium it, quibuſque ſubſtillum eſt. Sumito braſſicam, conjicito in aquam ferventem, coquito pauliſper, uti ſubcruda ſiet. poſtea aquam defundito non omnem. eo addito oleum bene, & ſalem, & cumini paululum. infervefacito pauliſper, poſtea inde juſculum frigidum ſorbere, & ipſam braſſicam eſſe oportet. uti quam primum excoquat, quotidie id facito.

CLVII. Principium te cognoſcere oportet, quæ genera braſſicæ ſint, & cujuſmodi naturam habeant omnia. Ad ſalutem temperat, commutatque ſeſe ſemper cum calore, arido, ſimul humido, & dulci, & amaro, & acri. Sed quæ vocatur ſeptem bona in commixturam, natura omnia hæc habet braſſica. Nunc uti cognoſcas naturam earum, prima eſt, levis quæ nominatur. ea eſt grandis, latis foliis, caule magno: validam habet naturam, & vim magnam habet. Altera eſt criſpa, apiacon vocatur. hæc eſt natura & aſpectu bona ad curationem. validior eſt, quam quæ ſupra ſcripta eſt. Item eſt tertia, quæ lenis vocatur, minutis caulibus, tenera, & acerrima omnium eſt iſtarum, tenui ſuco ve-

hementiſſima. Et primum ſcito, de omnibus braſſicis nulla eſt illiuſmodi medicamentoſior. Ad omnia vulnera, tumores eam contritam imponito. Hæc omnia ulcera purgabit, ſanaque faciet ſine dolore. Eadem tumida concoquit, eadem erumpit. eadem vulnera putida, cancereſque purgabit, ſanoſque faciet, quod medicamentum aliud facere non poteſt. Verum prius quam id imponas, aqua calida multa lavato. Poſtea bis in die contritam imponito. Ea omnem putorem adimet. cancer ater, is olet, & ſaniem ſpurcam mittit. albus purulentus eſt. ſed fiſtuloſus ſubtus ſuppurat ſub carne. In ea vulnera hujuſcemodi teras braſſicam, ſanum faciet. optima eſt ad hujuſcemodi vulnus. Et luxatum ſi quod eſt, bis die aqua calida foveto, braſſicam tritam opponito, cito ſanum faciet. Si bis die apponitur, dolores auferet. & ſi quid contuſum eſt, erumpet. ſi braſſicam tritam appoſueris, & ſanum faciet: & ſi quid in mammis ulceris natum, & carcinoma, braſſicam tritam opponito, ſanum faciet. Et ſi ulcus acrimoniam ejus ferre non poterit, farinam hordeaceam miſceto, ita opponito. Hujuſcemodi ulcera omnia hæc ſana faciet: quod aliud medicamentum facere non poteſt, neque purgare. Et puero, & puellæ ſi ulcus erit hujuſcemodi, farinam hordeaceam addito. Et ſi voles eam confectam, lautam, ſiccam, ſale, aceto ſparſam eſſe, ſalubrius nihil erit. Quo libentius edas, aceto mulſo ſpargito, mentam ſiccam, & rutam, coriandrum ſectam, ſale ſparſam paulo libentius edes. Id bene faciet, & mali nihil ſinet in corpore conſiſtere, & alvum bo-

nam faciet. Si quid antea mali intus erit, omnia ſana faciet. De capite, & de oculis omnia deducet, & ſanum faciet. Hanc mane eſſe oportet jejunum. Et ſi bilis atra eſt, & ſi lienes turgent, & ſi cor dolet, & ſi jecur, aut pulmones, aut præcordia, uno verbo omnia ſana faciet, intro quæ dolitabunt. Eodem ſilphium inradito, bonum eſt. nam venæ omnes, ubi ſufflatæ ſunt ex cibo, non poſſunt perſpirare in toto corpore. inde aliqui morbus naſcitur. ubi ex multo cibo alvus non it, proportione braſſica ſi uteris, (id ut te moneo) nihil iſtorum uſu veniet morbis. Verum morbum articularium nulla res tantum purgat, quantum braſſica cruda, ſi eam edes cum ruta & coriandro conciſam. Sic & laſerpitium inraſum cum braſſica ex aceto oxymelli & ſale ſparſa. Hac ſi uteris, omnes articulos poteris experiri. Nullus ſumtus eſt: & ſi ſumtus eſſet, tamen valetudinis cauſa experirer. Hanc oportet mane jejunum eſſe. Omnis, qui inſomnioſus eſt, hac eadem curatione ſanum facies. Verum aſſam braſſicam, & unctam caldam, ſalis paulum dato homini jejuno. quam plurimum ederit, tam citiſſime ſanus fiet ex eo morbo. Tormina quibus moleſta erunt, ſic facito: braſſicam macerato bene, poſtea in aulam conjicito, defervefacito bene. ubi cocta erit bene, aquam defundito. eo addito oleum bene, & ſalis paululum, & cuminum, & pollinem polentæ. Poſtea ferve bene facito. ubi ferverit, in catinum indito. dato edat, ſi poterit, ſine pane; ſi non, panis parum ibidem madefaciat. Et ſi febrim non habebit, dato vinum atrum bibat. cito

ſanus fiet. Et hoc, ſi quando uſus venerit, qui debilis erit, hæc res ſanum facere poteſt. braſſicam edit ita, uti S. S. E. Et hoc amplius. Lotium conſervato ejus, qui braſſicam eſitarit. id calfacito. eo hominem demittito, cito ſanum faciet hac cura. expertum hoc eſt. Item pueros puſillos, ſi laves eo lotio, nunquam debiles fient. Et quibus oculi parum clari ſunt, eo lotio inungito, plus videbunt. Si caput aut cervices dolent, eo lotio caldo lavito, deſinent dolore. Et ſi mulier eo lotio locos fovebit, nunquam ii viroſi fient. & fovere ſic oportet: ubi in ſcutra ferveſeceris, ſub ſellam ſupponito pertuſam. eo mulier aſſidat, operito, circum veſtimenta eam dato. Braſſica erratica maximam vim habet. eam arfacere & conterere oportet bene minutam. Si quidem purgare voles, pridie ne cœnet, mane jejuno dato braſſicam tritam, aquæ cyathos IV. Nulla res tam bene purgabit, neque elleborum, neque ſcamoneum, & ſine periculo, & ſcito ſalubrem eſſe corpori. Quos diffidas ſanos facere, facies. Qui hac purgatione purgandus erit, ſic eum curato: ſorbitione liquida hoc per dies VII. dato. ubi eſſe volet, carnem aſſam dato. ſi eſſe non volet, dato braſſicam coctam & panem, & bibat vinum lene dilutum, lavet raro, utatur unctione. Qui ſic purgatus erit, diutina valetudine utetur, neque ullus morbus veniet niſi ſua culpa. Et ſi quis ulcus tetrum vel recens habebit, hanc braſſicam erraticam aqua ſpargito, opponito, ſanum facies. Et ſi fiſtula erit, turundam intro trudito. ſi turundam non recipiet, diluito, indito in veſicam, eo cala-

mum alligato. ita premito, in fistulam introeat. ea res sanum faciet cito. Et ad omnia ulcera vetera & nova contritam cum melle opponito, sanum faciet. Et si polypus in naso introierit, brassicam erraticam aridam tritam in malum conjicito, & ad nasum admoveto. ita subducito susum animam quam plurimum poteris. in triduo polypus excidet. & ubi exciderit, tamen aliquot dies idem facito, ut radices polypi persanas facias. Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, sucum exprimito, in aurem intro tepidum instillato. cito te intelliges plus audire. Deinde petigini parce brassicam opponito, sanam faciet, & ulcus non faciet.

CLVIII. Alvum dejicere hoc modo oportet. Si vis bene tibi dejicere, sume tibi ollam, addito eo aquæ sestarios VI. & eo addito ungulam de perna. Si ungulam non habebis, addito de perna frustum P. S. quam minime pingue. ubi jam coctum incipit esse, eo addito brassicæ coliculos II. betæ coliculos II. cum radice sua, feliculæ paulum, herbæ mercurialis non multum, mutulorum L. II. piscem capitonem, & scorpionem I. cochleas VI. & lentis pugillum. Hæc omnia decoquito usque ad sestarios tres juris. oleum ne addideris. indidem sume tibi sestarium unum tepidum. adde vini Coi cyathum unum. bibe, interquiesce. deinde iterum eodem modo, deinde tertium. purgabis te bene. Et si voles insuper vinum Coum mixtum bibere, licebit bibas. Ex iis tot rebus, quot scriptum est, unum, quod eorum vis, alvum dejicere potest. Verum ea re tot res sunt, uti bene dejicias, & suave est.

CLIX. Intertrigini remedium, in viam cum ibis, abſinthii Pontici ſurculum ſub anulo habeto.

CLX. Luxum ſi quod eſt, hac cantione ſanum fiet. Harundinem prende tibi viridem P. IV, aut V. longam, Mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare, IN ALIO. S. F. MOTAS VÆTA DARIES DARDARIES ASTATARIES DISSUNAPITER, uſque dum coëant. Ferrum inſuper jactato. ubi coierint, & altera alteram tetigerit; id manu prende, & dextra ſiniſtra præcide. Ad luxum, aut ad fracturam alliga, ſanum fiet. & tamen quotidie cantato in alio, S. F. vel luxato. Vel hoc modo, HUAT HANAT HUAT ISTA PISTA SISTA, DOMIABO DAMNAUSTRA, & luxato. Vel hoc modo, HUAT HAUT HAUT ISTA SIS TAR SIS ARDANNABON DUNNAUSTRA.

CLXI. Aſparagus quomodo ſeratur. Locum ſubigere oportet bene, qui habeat humorem, aut loco craſſo: ubi erit ſubactus, areas facito, ut poſſis dextra ſiniſtraque ſarire, runcare, ne calcetur Cum areas deformabis, intervallum facito inter eas ſemipedem latum in omnes partes. deinde ſerito. Ad lineam palo grana bina aut terna demittito. & eodem palo cavum terra operito. Deinde ſupra areas ſtercus ſpargito, bene ſerito. Secundum æquinoctium vernum, ubi erit natum, herbas crebro purgato, cavetoque, ne aſparagus una cum herba vellatur. Quo anno ſeveris, ſubſtramentis per hiemem operito, ne peruratur. Deinde primo vere aperito, ſarito, runcatoque. Poſt annum tertium, quam ſeveris, incendito vere primo. Deinde ne ante ſarue-

ris, quam asparagus natus erit, ne in sariendo radices lædas. Tertio, aut quarto anno asparagum vellito ab radice. nam si defringes, stirpes fient, & intermorientur. Usque licebit vellas, donicum in semen videris ire. Semen maturum fit ad auctumnum. Ita cum sumseris semen, incendito, & cum cœperit asparagus nasci, sarito, & stercorato. Post annos VIII. aut IX. cum jam est vetus, digerito, & in quo loco positurus eris, terram bene subigito, & stercorato. Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas. Intervallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi. vellito, sic circumfodito, ut facile evellere possis. Caveto, ne frangatur. Stercus ovillum quam plurimum fac ingeras: id est optimum ad eam rem. aliud stercus herbas creat.

CLXII. Pernas sallire sic oportet, in dolio, aut in seria. Cum pernas emeris, ungulas earum præcidito. Salis Romaniensis moliti in singulas semodius. In fundo dolii, aut seriæ salem sternito. deinde pernam ponito. cutis deorsum spectet. Sale obruito totam. Deinde alteram insuper ponito. eodem modo obruito. Caveto, ne caro carnem tangat. Ita omnes obruito. Ubi jam omnes composueris, sale insuper obrue, ne caro appareat. æqualem facito. Ubi jam dies V. in sale fuerint, eximito omnes cum suo sale. Quæ tum summæ fuerint, imas facito. eodemque modo obruito, & componito. Post diem omnino duodecimum pernas eximito, & salem omnem detergeto, & suspendito in vento biduum. Die tertio extergeto spongia be-

ne, perunguito oleo. Suſpendito in fumo biduum. Tertio die demito. Perunguito oleo & aceto commixto. ſuſpendito in carnario. nec tinea, nec vermes tangent.

M. TERENTII VARRONIS

DE

RE RUSTICA.

LIBRI III.

CAPITA
REI RUSTICÆ
M. T. VARRONIS.

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

M. TERENTII VARRONIS
RERUM RUSTICARUM
DE AGRICULTURA
LIBER PRIMUS.

I. OTIUM ſi eſſem conſecutus, Fundania, commodius tibi hæc ſcriberem, quæ nunc, ut potero, exponam, cogitans eſſe properandum, quod (ut dicitur) ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex. annus enim octogeſimus admonet me, ut ſarcinas colligam, antequam proficiſcar e vita. Quare, quoniam emiſti fundum, quem bene colendo fructuoſum conficere velis, meque ut id mihi habeam curare roges, experiar. & non ſolum, ut ipſe quoad vivam, quid fieri oporteat, ut te moneam, ſed etiam poſt mortem. Neque patiar Sibyllam non ſolum ceciniſſe, quæ, dum viveret, prodeſſent hominibus, ſed etiam quæ cum periſſet ipſa, & id etiam ignotiſſimis quoque hominibus; ad cujus libros tot annis poſt publice ſolemus redire, cum deſideramus quid faciendum ſit nobis ex aliquo portento: me, ne dum vivo quidem, neceſſariis meis quod proſit facere. Quocirca ſcribam tibi tres libros indices, ad quos revertare, ſi qua in re quæres, quemadmo-

dum quidque te in colendo oporteat facere. Et quoniam (ut ajunt) Dei facientes adjuvant, prius invocabo eos; nec, ut Homerus & Ennius, Musas, sed XII Deos consentis: neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & feminæ totidem, sed illos XII Deos, qui maxime agricolarum duces sunt. Primum, qui omnes fructus agriculturæ cœlo & terra continent, Jovem & Tellurem. itaque quod ii parentes magni dicuntur, Juppiter, pater appellatur, Tellus, terra mater. Secundo Solem & Lunam, quorum tempora observantur, cum quædam seruntur & conduntur. Tertio Cererem & Liberum, quod horum fructus maxime necessarii ad victum. Ab his enim cibus & potio venit e fundo. Quarto Robigum ac Floram, quibus propitiis, neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ robigalia; Floræ, ludi floralia instituti. Item adveneror Minervam & Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum; quo nomine rustica vinalia instituta. Nec non etiam precor Lympham ac Bonum Eventum, quoniam sine aqua omnis arida ac misera agricultura, sine successu ac bono eventu, frustratio est, non cultura. Iis igitur Deis ad venerationem advocatis, ego referam sermones eos, quos de agricultura habuimus nuper, ex quibus, quid te facere oporteat, animadvertere poteris, in queis quæ non inerunt & quæres, indicabo a quibus scriptoribus reperias & Græcis, & nostris. Qui Græce scripserunt dispersim, alius de alia re, sunt plus quinqua-

ginta. Hi sunt, quos tu habere in consilio poteris; cum quid consulere voles, Hieron Siculus, & Attalus Philometor : de philosophis, Democritus physicus, Xenophon Socraticus, Aristoteles & Theophrastus peripatetici, Archytas Pythagoreus, item Amphilochus Atheniensis, Anaxipolis Thasius, Apollodorus Lemnius, Aristophanes Mallotes, Antigonus Cymæus, Agathocles Chius, Apollonius Pergamenus, Aristandrus Atheniensis, Bacchius Milesius, Bion Soleus, Chæresteus & Chæreas Athenienses, Diodorus Priennæus, Dion Colophonius, Diophanes Nicensis, Epigenes Rhodius, Evagon Thasius, Euphranii duo, unus Atheniensis, alter Amphipolites, Hegesias Maronites, Menandri duo, unus Priennæus, alter Heracleotes, Nicesius Maronites, Pythion Rhodius. De reliquis, quorum quæ fuerit patria non accepi, sunt Androtion, Æschrion, Aristomenes, Athenagoras, Crates, Dadis, Dionysius, Euphiton, Euphorion, Eubolus, Lysimachus, Mnaseas, Menestratus, Pleuthiphanes, Persis, Theophilus. Ii, quos dixi, omnes soluta oratione scripserunt. Easdem res etiam quidam versibus, ut Hesiodus Ascræus, Menecrates Ephesius. Hos nobilitate Mago Carthaginiensis præteriit Pœnica lingua, quod res dispersas comprehendit libris XXVIIJ, quos Cassius Dionysius Uticensis vertit libris XX, ac Græca lingua Sextilio prætori misit : in quæ volumina de Græcis libris eorum, quos dixi, adjecit non pauca, & de Magonis demsit instar librorum VIII. Hosce ipsos utiliter ad VI libros redegit Diophanes in Bithynia, & misit Dejotaro

regi. Quo brevius de ea re conor tribus libris exponere, uno de agricultura, altero de re pecuaria, tertio de villaticis paſtionibus; hoc libro circumciſis rebus, quæ non arbitror pertinere ad agriculturam. Itaque prius oſtendam, quæ ſecerni oporteat ab ea, tum de his rebus dicam, ſequens naturales diviſiones. Ea erunt ex radicibus trinis, & quæ ipſe in meis fundis colendo animadverti, & quæ legi, & quæ a peritis audii.

II. Sementivis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab æditimo, ut dicere didicimus a patribus noſtris: ut corrigimur a recentibus urbanis, ab æditumo. Offendi ibi C. Fundanium ſocerum meum, & C. Agrium equitem R. Socraticum, & P. Agraſium publicanum, ſpectantes in pariete pictam Italiam. Quid vos hic, *inquam*, num feriæ ſementivæ otioſos huc adduxerunt, ut patres & avos ſolebant noſtros? Nos vero (inquit AGRIUS) ut arbitror, eadem cauſa, quæ te, rogatio æditimi. Itaque ſi ita eſt, ut annuis, morere oportet nobiſcum, dum ille revertatur. nam arceſſitus ab ædile, cujus procuratio hujus templi eſt, nondum rediit, & nos, ut exſpectaremus ſe, reliquit qui rogaret. Vultis igitur interea vetus proverbium, quod eſt, ROMANUS ſedendo vincit, uſurpemus, dum ille venit? Sane, inquit AGRIUS, & ſimul cogitans, PORTAM itineri dici longiſſimam eſſe, ad ſubſellia ſequentibus nobis procedit. Cum conſediſſemus, AGRASIUS, Vos, qui multas perambulaſtis terras, ecquam cultiorem Italia vidiſtis, inquit? Ego vero, AGRIUS, nullam arbitror eſſe, quæ tam tota ſit culta. Primum cum

orbis terræ divisus sit in duas partes ab Eratosthene, maxime secundum naturam ad meridiem versus, & ad septemtriones: & sine dubio quoniam salubrior pars septemtrionalis est, quam meridiana; & quæ salubriora, illa fructuosiora: dicendum magis eam fuisse opportunam ad colendum, quam Asiam, ibique Italiam. primum quod est in Europa: secundo, quod hæc temperatior pars est, quam interior. nam intus pæne sempiternæ hiemes. neque mirum, quod sunt regiones inter circulum septemtrionalem, & inter cardinem cœli, ubi sol etiam sex mensibus continuis non videtur. itaque in oceano in ea parte ne navigari quidem posse dicunt propter mare congelatum. FUNDANIUS. Em ibi tu quidquam nasci putas posse, aut coli natum? Verum enim est illud Pacuvii, Sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore, terræ fructus omnes interire. Ego hic, ubi nox & dies modice redit, & abit, tamen æstivo die, si non diffinderem meo insititio somno meridie, vivere non possem. illic in semestri die, aut nocte, quemadmodum quidquam seri, aut alescere, aut meti possit? Contra quid in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quam hæc? aut Argos, quod idem poeta πολύπυρον. In qua terra jugerum unum denos & quinos denos culleos fert vini, quot quædam in Italia

regiones? An non M. Cato scribit in libro Originum sic? ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotsariam in singula jugera dena cullea vini fiunt. Nonne item in agro Faventino, a quo ibi trecenariæ appellantur vites, quod jugerum trecenas amphoras reddat? Simul aspicit me, Certe, inquit, L. Martius præfectus fabrûm tuus in fundo suo Faventiæ hanc multitudinem dicebat suas reddere vites. Duo in primis spectasse videntur Italici homines colendo, possentne fructus pro impensa ac labore redire, & utrum saluber locus esset, an non? quorum si alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente est captus, atque ad agnatos & gentiles est deducendus. Nemo enim sanus debet velle impensam ac sumtum facere in culturam, si videt non posse refici: nec, si potest reficere fructus, si videt eos fore, ut pestilentia dispereant. Sed, opinor, qui hæc commodius ostendere possint, adsunt. nam C. Licinium Stolonem, & Cn. Tremellium Scrofam video venire, unum, cujus majores de modo agri legem tulerunt. nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere civem R. & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen, quod nullus in ejus fundo reperiri poterat stolo, quod effodiebat circum arbores, e radicibus, quæ nascerentur e solo, quos stolones appellabant. Ejusdem gentis C. Licinius, tribunus pleb. cum esset, post reges exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiundas in septem jugera forensia, e co-

mitio eduxit. Alterum collegam tuum, xx vir qui fuit ad agros dividundos Campanos, video huc venire, Cn. Tremellium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura Romanus peritissimus existimatur. An non jure, *inquam?* Fundi enim ejus propter culturam jucundiore spectaculo sunt multis, quam regie polita ædificia aliorum, cum hujus spectatum veniant villas, non ut apud Lucullum, ut videant pinacothecas, sed oporothecas. Hujusce, *inquam*, pomaria summa sacra via, ubi poma veneunt, contra auream imaginem. Illi interea ad nos. Et STOLO, Num cœna comesa, inquit, venimus? nam non L. videmus Fundilium, qui nos advocavit. Bono animo este, inquit AGRIUS. nam non modo ovum illud sublatum est, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis, sed ne illud quidem ovum vidimus, quod in ceriali pompa solet esse primum. Itaque dum id nobiscum una videatis, ac venit æditimus, docere nos, agricultura quam summam habeat, utilitatemne, an voluptatem, an utrumque. ad te enim rudem esse agriculturæ nunc, olim ad Stolonem fuisse dicunt. SCROFA, Prius, inquit, discernendum, utrum quæ ferantur in agro, ea sola sint in cultura, an etiam quæ inducantur in rura, ut oves, & armenta. Video enim, qui de agricultura scripserunt, & Pœnice, & Græce, & Latine, latius vagatos, quam oportuerit. Ego vero, inquit STOLO, eos non in omni re imitandos arbitror, & eo melius fecisse quosdam, qui minore pomerio finierunt, exclusis partibus, quæ non pertinent ad hanc rem.

Quare tota paſtio, quæ conjungitur a pleriſque cum agricultura, magis ad paſtorem, quam ad agricolam pertinere videtur. Quocirca principes, qui utrique rei præponuntur, vocabulis quoque ſunt diverſi, quod unus vocatur vilicus, alter magiſter pecoris. Vilicus agri colendi cauſa conſtitutus, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur, cum veneunt. a quo ruſtici etiam nunc quoque viam, veam appellant, propter vecturas; & vellam non villam, quo vehunt, & unde vehunt. Item dicuntur, qui vecturis vivunt, vellaturam facere. Certe, inquit FUNDANIUS, aliud paſtio, & aliud agricultura, ſed affinis. & ut dextera tibia alia, quam ſiniſtra, ita ut tamen ſit quodam modo conjuncta, quod eſt altera ejuſdem carminis modorum incentiva, altera ſuccentiva. Et quidem licet adjicias, *inquam*, paſtorum vitam eſſe incentivam, agricolarum ſuccentivam, auctore doctiſſimo homine Dicæarcho, qui Græciæ vita qualis fuerit ab initio, nobis oſtendit, ut ſuperioribus temporibus fuiſſe doceat, cum homines paſtoriciam vitam agerent, neque ſcirent etiam arare terram, aut ſerere arbores, aut putare; ab his inferiore gradu ætatis ſuſceptam agriculturam. Quocirca & ſuccinit paſtorali, quod eſt inferior, ut tibia ſiniſtra a dextræ foraminibus. AGRIUS, Tu, inquit, tibicen non ſolum adimis domino pecus, ſed etiam ſervis peculium, quibus domini dant, ut paſcant, atque etiam leges colonicas tollis, in quibus ſcribimus, Colonus in agro ſurculario ne capra natum paſcat: quas etiam aſtrologia in cœ-

lum recepit, non longe ab Tauro. Cui FUNDANIUS, Vide, inquit, ne, Agri, istuc sit ab hoc, cum in legibus etiam scribatur, pecus quoddam. Quædam enim pecudes culturæ sunt inimicæ, ac veneno, ut istæ, quas dixisti, capræ. eæ enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas. Itaque propterea institutum diversa de causa, ut ex caprino genere ad alii Dei aram hostia adduceretur, ad alii non sacrificaretur, cum ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, ut Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde ut capite darent pœnas; contra, ut Minervæ caprini generis nihil immolarent, propter oleam, quod eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem: ejus enim salivam esse fructuis venenum. [LICINIUS,] hoc nomine etiam Athenis in arcem non inigi, præterquam semel ad necessarium sacrificium, ne arbor olea, quæ primum dicitur ibi nata, a capra tangi possit. Nec ullæ, *inquam*, pecudes agriculturæ sunt propriæ, nisi quæ agrum opere, quo cultior sit, adjuvare, ut eæ, quæ junctæ arare possunt. AGRASIUS, si istuc ita est, inquit, quomodo pecus removeri potest ab agro, cum stercus, quod plurimum prodest, greges pecorum ministrent? Sic, inquit AGRIUS, venalium greges dicemus agriculturam esse, si propter istam rem habendum statuerimus. Sed error hinc, quod pecus in agro esse potest, & fructus non in agro ferre. quod non sequendum. Nam sic etiam res aliæ diversæ ab agro erunt assumendæ: ut si habeas plures in fundo textores, atque

institutos histonas, sic alios artifices. SCROFA, Disjungamus igitur, inquit, pastionem a cultura, & si quis quid vult aliud. Anne ego, *inquam*, sequar Sasernarum patris & filii libros? ac magis putem pertinere, figlinas quemadmodum exerceri oporteat, quam argenti fodinas, aut alia & alia metalla, quæ sine dubio in aliquo agro fiunt? Sed ut neque lapicidinæ, neque arenariæ ad agriculturam pertinent, sic figlinæ. Neque ideo non in quo agro idoneæ possunt esse, [non] exercendæ, atque ex eis capiundi fructus: ut etiam si ager secundum viam, & opportunus viatoribus locus, ædificandæ tabernæ diversoriæ, quæ tamen quamvis sint fructuosæ, nihilo magis sunt agriculturæ partes. Non enim si quis propter agrum, aut etiam in agro profectus domino agriculturæ acceptum referre debet, sed id modo, quod ex satione terra sit natum ad fruendum. Suscipit STOLO, Tu, inquit, invides tanto scriptori, & obstrigillandi causa figlinas reprehendis, cum præclara quædam, ne laudes, prætermittas, quæ ad agriculturam vehementer pertineant. Cum subrisisset SCROFA, quod non ignorabat libros, & despiciebat, & AGRASIUS se scire modo putaret, ac STOLONEM rogasset, ut diceret, cœpit. Scribit cimices quemadmodum interfici oporteat his verbis. Cucumerem anguinum condito in aquam, eamque infundito quo voles, nulli accedent. vel fel bubulum cum aceto mixtum, unguito lectum. FUNDANIUS aspicit ad SCROFAM, Et tamen verum dicit, inquit, hic, ut hoc scripserit in agricultura. *Ille*, Tam hercle, quam hoc, si quem glabrum facere velis,

quod jubet, ranam luridam conjicere in aquam, usque quo ad tertiam partem decoxeris, eoque unguere corpus. Ego quod magis, *inquam*, pertineat ad Fundanii valetudinem, & in eo libro est, satius dicam: nam hujusce pedes solent dolere, & in fronte contrahere rugas. Dic sodes, inquit FUNDANIUS: nam malo de meis pedibus audire, quam quemadmodum pedes betaceos seri oporteat. STOLO subridens, Dicam, inquit, eisdem, quibus ille verbis scripsit, vel Traquennam audivi. Cum homini pedes dolere cœpissent, qui tui meminisset, ei mederi posse. Ego tui memini, medere meis pedibus. TERRA PESTEM TENETO. SALUS HIC MANETO [*in meis pedibus*]. Hoc ter novies cantare jubet, terram tangere, despuere, jejunum cantare. Multa, *inquam*, item alia miracula apud Sasernas invenies, quæ omnia sunt diversa ab agricultura, & ideo repudianda. Quasi vero, *inquam*, non apud ceteros quoque scriptores, talia reperiantur. An non in magni illius Catonis libro, qui de agricultura est editus, scripta sunt permulta similia? ut hæc, quemadmodum placentam facere oporteat, quo pacto libum, qua ratione pernas sallire. Illud non dicis, inquit AGRIUS, quod scribit, Si velis in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante esse oportet brassicam crudam ex aceto, & post aliqua folia v.

III. Igitur, inquit AGRASIUS, quæ dijungenda essent a cultura cujusmodi sint, quoniam discretum, de iis rebus dicendum, quæ scientia sit, & quid in colendo nos docet, ars an sit, an quid aliud, & a

quibus carceribus decurrat ad metas. STOLO cum aspexisset SCROFAM, Tu, inquit, & ætate, & honore, & scientia quod præstas, dicere debes. Ille non gravatus, Primum, inquit, non modo est ars, sed etiam necessaria ac magna. eaque est scientia, quæ docet, quæ sint in quoquo agro serunda ac faciunda, quæque terra maximos perpetuo reddat fructus.

IV. Ejus principia sunt eadem, quæ mundi esse Ennius scribit, aqua, terra, anima, & sol. Hæc enim cognoscenda prius, quam jacias semina, quod initium fructuum oritur. Hinc profecti agricolæ ad duas metas dirigere debent, ad utilitatem & voluptatem. Utilitas quærit fructum, voluptas delectationem. Priores partes agit, quod utile est, quam quod delectat. Nec non ea, quæ faciunt [cultura] honestiorem agrum, pleraque non solum fructuosiorem eundem faciunt, ut cum in ordinem sunt consita arbusta atque oliveta, sed etiam vendibiliorem, atque adjiciunt ad fundi pretium. nemo enim eadem utilitate non formosius quod est, emere mavult pluris, quam si est fructuosus turpis. Utilissimus autem is ager, qui salubrior est, quam alii, quod ibi fructus certus. contra quod in pestilenti, calamitas, quamvis in feraci agro, colonum ad fructus pervenire non patitur. Etenim ubi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita. Quare ubi salubritas non est, cultura non aliud est, atque alea domini vitæ, ac rei familiaris. Nec hæc non diminuitur scientia. ita enim salubritas, quæ ducitur e cœlo ac terra,

non eſt in noſtra poteſtate, ſed in naturæ: ut tamen multum ſit in nobis, quod graviora quæ ſunt, ea diligentia leviora facere poſſumus. Etenim ſi propter terram aut aquam, odoremve, quem aliquo loco eructat, peſtilentior eſt fundus, aut propter cœli regionem ager calidior ſit, aut ventus non bonus flet: hæc vitia emendari ſolent domini ſcientia ac ſumtu; quod permagni intereſt, ubi ſint poſitæ villæ, quantæ ſint, quo ſpectent, porticibus, oſtiis ac feneſtris. An non ille Hippocrates medicus in magna peſtilentia, non unum agrum, ſed multa oppida, ſcientia ſervavit? Sed quid ego illum voco ad teſtimonium? Non hic Varro noſter, cum Corcyræ eſſet exercitus ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris novis aquilone, & obſtructis peſtilentibus, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentia, ſuos comites, ac familiam, incolumes reduxit?

V. Sed quoniam agriculturæ quod eſſet initium & finis dixi, relinquitur, quot partes ea diſciplina habeat, ut ſit videndum. Equidem innumerabiles mihi videntur, inquit AGRIUS, cum lego libros Theophraſti complures, qui inſcribuntur φυτῶν ἱστορίας, & alteri φυτικῶν αἰτίων. STOLO, Iſti, inquit, libri non tam idonei iis, qui agrum colere volunt, quam qui ſcholas philoſophorum. neque eo dico, quod non habeant & utilia, & communia quædam. quapropter tu potius agriculturæ partes nobis expone. SCROFA, Agriculturæ, inquit, quatuor ſunt partes ſummæ: e queis prima cognitio fundi; ſolum, parteſque ejus, quales ſint: ſecunda, quæ in

eo fundo opus sunt, ac debeant esse culturæ causa: tertia, quæ in eo prædio colendi causa sint faciunda: quarta, quo quidque tempore in eo fundo fieri conveniat. De his quatuor generibus singulæ minimum in binas dividuntur species. quod habet prima ea, quæ ad solum pertinent terræ, & quæ ad villas & stabula. secunda pars, quæ moveantur, atque in fundo debeant esse culturæ causa, est item bipartita: de hominibus, per quos colendum, & de reliquo instrumento. tertia pars, quæ de rebus, dividitur, quæ ad quamque rem sint præparanda, & ubi quæque faciunda. quarta pars de temporibus, quæ ad solis circumitum annuum sint referenda, & quæ ad lunæ menstruum cursum. De primis quatuor partibus prius dicam, deinde subtilius de octo secundis.

VI. Igitur primum de solo fundi videndum hæc quatuor: quæ sit forma, quo in genere terræ, quantus, quam per se tutus. Formæ cum duo genera sint, una, quam natura dat, altera, quam sationes imponunt: prior, quod alius ager bene natus, alius male; posterior, quod alius fundus bene consitus est, alius male: dicam prius de naturali. Igitur cum tria genera sint a specie simplicia agrorum, campestre, collinum, & montanum, est ex iis tribus quartum, ut in eo fundo, in quo hæc duo vel tria sunt, ut multis locis licet videri. E quibus tribus fastigiis simplicibus, sine dubio infimis alia cultura aptior, quam summis, quod hæc calidiora, quam summa: sic collinis, quod ea tepidiora, quam infima, aut summa. Hæc apparent magis ita esse in latioribus

regionibus, ſimplicia cum ſunt. Itaque ubi lati campi, ibi magis æſtus. Et eo in Apulia loca calidiora ac graviora. Et ubi montana, ut in Veſuvio, quod leviora, & ideo ſalubriora. Qui colunt deorſum, magis æſtate laborant: qui ſurſum, magis hieme: verno tempore in campeſtribus maturius eadem illa feruntur, quam in ſuperioribus: & celerius hic, quam illic coguntur. nec non ſurſum, quam deorſum tardius feruntur, ac metuntur. Quædam in montanis prolixiora naſcuntur ac firmiora, propter frigus, ut abietes ac ſappini. hic, quod tepidiora, populi ac ſalices: ſurſum fertiliora, ut arbutus ac quercus: deorſum, ut nuces Græcæ ac mariſcæ fici. In collibus humilibus ſocietas major cum campeſtri fructu, quam cum montano: in altis contra. Propter hæc tria faſtigia formæ, diſcrimina quædam fiunt ſationum, quod ſegetes meliores exiſtimantur eſſe campeſtres, vineæ collinæ, ſilvæ montanæ: plerumque hiberna iis eſſe meliora, qui colunt campeſtria, quod tunc prata ibi herboſa, putatio arborum tolerabilior. Contra æſtiva montanis locis commodiora, quod ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret: ac cultura arborum aptior, quod tum illic frigidior aer. Campeſter locus is melior, qui totus æquabiliter in unam partem vergit, quam is, qui eſt ad libellam æquus, quod is, cum aquæ non habent delapſum, fieri ſolet uliginoſus. eo magis ſi quis eſt inæquabilis, eo deterior, quod fit propter lacunas aquoſus. Hæc atque hujuſcemodi tria faſtigia agri ad colendum diſpariliter habent momentum.

VII. Stolo, Quod ad hanc formam naturalem pertinet, de eo non incommode Cato videtur dicere, cum ſcribit, optimum agrum eſſe, qui ſub radice montis ſitus ſit, & ſpectet ad meridianam cœli partem. Subjicit Scrofa, De formæ cultura hoc dico, quæ ſpecie fiant venuſtiora, ſequi, ut majore quoque fructu ſint: ut qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem, propter ordines atque intervalla modica. Itaque majores noſtri ex arvo æque magno, ſed male conſito, & minus multum, & minus bonum faciebant vinum & frumentum, quod quæ ſuo quidque loco ſunt poſita, ea minus loci occupant, & minus officit aliud alii ab ſole, ac luna, & vento. Hoc licet conjectura videre ex aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere poſſis, quod putamina ſuo loco quæque habet natura compoſita, cum eaſdem ſi fregeris, vix ſeſquimodio concipere poſſis. Præterea quæ arbores in ordinem ſatæ ſunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus ſol ac luna coquunt. quo fit, ut uvæ & oleæ plures naſcantur, & ut celerius coquantur, quas res duas ſequuntur altera illa duo, ut plus reddant muſti & olei, & pretii pluris. Sequitur ſecundum illud, quali terra ſolum ſit fundi, a qua parte vel maxime bonus, aut non bonus appelletur. Refert enim, quæ res in eo ſeri naſcique, & cujuſmodi poſſint. Non enim eadem omnia in eodem agro recte poſſunt. nam ut alius eſt ad vitem appoſitus, alius ad frumentum, ſic de ceteris alius ad aliam rem. Itaque Cretæ ad Cortyniam dicitur platanus eſſe, quæ folia hieme non

amittat. itemque in Cypro, ut Theophraſtus ait, una. item Sybari, qui nunc Thurii dicuntur, quercus ſimili eſſe natura, quæ eſt in oppidi conſpectu. Item contra atque apud nos fieri ad Elephantinen, ut neque ficus, neque vites amittant folia. Propter eandem cauſam multa ſunt bifera, ut vites apud mare Smyrnæ: malus bifera, ut in agro Conſentino. Idem oſtendit, quòd in locis feris plura ferunt: in iis, quæ ſunt culta, meliora. eadem de cauſa ſunt, quæ non poſſunt vivere niſi in loco aquoſo, aut etiam aqua. & id diſcriminatim, ut alia in lacubus, ut arundines in Reatino; alia in fluminibus, ut in Epeiro arbores alni; alia in mari, ut ſcribit Theophraſtus, palmas & ſquillas. In Gallia tranſalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur; ubi agros ſtercorarent candida foſſicia creta: ubi ſalem nec foſſicium, nec maritimum haberent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo uterentur. STOLO, Cato quidem, inquit, gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit eſſe in novem diſcriminibus, quod ſit primus, ubi vineæ poſſint eſſe bono vino & multo; ſecundus, ubi hortus irriguus; tertius, ubi ſalicta; quartus, ubi oliveta; quintus, ubi pratum; ſextus, ubi campus frumentarius; ſeptimus, ubi cædua ſilva; octavus, ubi arbuſtum; nonus, ubi glandaria ſilva. SCROFA, Scio, inquit, ſcribere illum. ſed de hoc non conſentiunt omnes, quod alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque: a quo antiqui prata parata

appellarunt. Cæſar Vopiſcus ædilicius, cauſam cum ageret apud Cenſores, campos Roſeæ Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam.

VIII. Contra vineam ſunt qui putent ſumtu fructum devorare. Refert, *inquam*, quod genus vineæ ſit, quod ſunt multæ ſpecies ejus. aliæ enim humiles ac ſine ridicis, ut in Hiſpania: aliæ ſublimes, ut quæ appellantur jugatæ, ut pleræque in Italia. quarum nomina duo pedamenta, & juga. quibus ſtat rectis vinea, dicuntur pedamenta. quæ transverſa junguntur, juga: ab eo quoque vineæ jugatæ. Jugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, reſtes, vites. pertica, ut in Falerno; arundo, ut in Arpino; reſtes, ut in Brundiſino; vites, ut in Mediolanenſi. Jugationis ſpecies duæ, una directa, ut in agro Canuſino: altera compluviata in longitudinem & latitudinem jugata, ut in Italia pleræque. Hæc ubi domo naſcuntur, vinea non metuit ſumtum; ubi multa ex propinqua villa, non valde. Primum genus quod dixi, maxime quærit ſalicta. ſecundum, arundineta. tertium junceta, aut ejus generis rem aliquam. quartum arbuſta, ubi traduces poſſint fieri vitium, ut Mediolanenſes faciunt in arboribus, quas vocant opulos; Canuſini in harundulatione in ficis. Pedamentum item fere quatuor generum. unum robuſtum, quod optimum ſolet afferri in vineam e quercu ac junipero, & vocatur ridica: alterum palus e pertica, melior e dura, quod diuturnior: quem cum infimum terra volvit, puter evertitur, & fit ſolum ſummum. tertium, quod

horum inopiæ ſubſidio miſit arundinetum. inde enim aliquot colligatas libris dimittunt in tubulos fictiles, cum fundo pertuſo, quos cuſpides appellant, qua humor adventicius tranſire poſſit. quartum eſt pedamentum nativum ejus generis, ubi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit: quos traduces, quidam rumpos, appellant. Vineæ altitudinis modus, longitudo hominis. Intervalla pedamentorum, qua boves juncti arare poſſint. Ea minus ſumtuoſa vinea, quæ ſine jugo miniſtrat acratophoro vinum. Hujus genera duo. unum, in quo terra cubilia præbet uvis, ut in Aſia multis locis, quæ ſæpe vulpibus & hominibus fit communis. nec non ſi parit humus mures, minor fit vindemia: niſi totas vineas oppleris muſcipulis, quod in inſula Pandataria faciunt. Alterum genus vineti, ubi ea modo removetur a terra vitis, quæ oſtendit ſe afferre uvam. Sub eam, ubi naſcitur uva, ſubjiciuntur circiter bipedales e ſurculis furcillæ, ne vindemia pereat, & vindemia facta denique diſcat pendere in palmam aut funiculo, aut vinctu, quod antiqui vocabant ceſtum. Ibi dominus ſimul ac vidit occipitium vindemiatoris, furcillas reducit hibernatum in tecta, ut ſine ſumtu earum opera altero anno uti poſſit. Hac conſuetudine in Italia utuntur Reatini. Hæc ideo varietas maxime, quod terra cujuſmodi ſit, refert. ubi enim natura humida, ibi altius vitis tollenda, quod in partu & alimonio vinum non ut in calice quærit aquam, ſed ſolem. itaque ideo, ut arbitror, primum e vinea in arbores aſcendit vitis.

IX. Terra, *inquam*, cujuſmodi ſit, refert, & ad

quam rem bona, aut non bona sit. ea tribus modis dicitur, communi, proprio & mixto. Communi, ut cum dicimus orbem terræ, & terram Italiam, aut quam aliam. in ea enim & lapis, & arena, & cetera ejus generis sunt in nominando comprehensa. Altero modo dicitur terra proprio nomine, quæ nullo alio vocabulo, neque cognomine adjecto appellatur. Tertio modo dicitur terra, quæ est mixta, in qua seri potest quid & nasci; ut argillosa, aut lapidosa, sic aliæ; cum in hac species non minus sint multæ, quam in illa communi, propter admixtiones. in illa enim, cum sint dissimili vi ac potestate, partes permultæ, in queis lapis, marmor, rudus, arena, sabulo, argilla, rubrica, pulvis, creta, glarea, carbunculus: [id est, quæ sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat.] ab iis, quæ proprio nomine dicitur terra, cum est admixta ex his generibus aliqua re, tum dicitur aut cretosa, aut glareosa, & sic ab aliis generum discriminibus mixta. & uti horum varietates, ita genera hæc, ut præterea subtiliora sint alia. nam minimum in singula facies terna, quod alia terra est valde lapidosa, alia mediocriter, alia prope pura. Sic de aliis generibus reliquis admixtæ terræ tres gradus ascendunt eosdem. Præterea hæ ipsæ ternæ species ternas in se habent alias, quod partim sunt humidiores, partim aridiores, partim mediocres. Neque non hæc discrimina pertinent ad fructus vehementer. Itaque periti in loco humidiore far adoreum potius serunt, quam triticum; contra in aridiore hordeum potius, quam far, in mediocri utrumque. Præterea etiam

discrimina omnium horum generum subtiliora alia, ut in sabulosa terra, quod ibi refert, sabulo albus sit, an rubicundus: quod subalbus ad serendos surculos alienus, contra rubicundior appositus. Sic magna tria discrimina terræ, quod refert, utrum sit macra, an pinguis, an mediocris. quo ad culturam pinguis fœcundior ad multa, macra contra. Itaque in iis, ut in Pupinia, neque arbores prolixas, neque vites feraces, neque stramenta videre crassa possis, neque ficum mariscam, & arbores plerasque, ac prata retorrida, & muscosa. Contra in agro pingui, ut in Hetruria, licet videre segetes fructuosas, ac restibiles, & arbores prolixas, & omnia sine musco. In mediocri autem terra, ut in Tiburti, quod propius accedit, ut non sit macra, quam ut sit jejuna, eo ad omnes res commodior, quam si inclinavit ad illud, quod deterius. STOLO, Non male, inquit, quæ sit idonea terra ad colendum, aut non, Diophanes Bithynius scribit, signa sumi posse aut ex ipsa, aut ex iis, quæ nascuntur ex ea. ex ipsa, si sit terra alba, si nigra, si levis, quæ cum fodiatur, facile frietur, naturaque non sit cineritia neve vehementer densa. ex iis autem, quæ enata sunt fera, si sunt prolixa, atque ea, quæ ex iis nasci debent, earum rerum feracia. Sed quod sequitur, tertium illud de modis dice.

X. Ille, Modos, quibus metirentur rura, alius alios constituit. nam in Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possint. Versum dicunt centum pedes quoquoversum quadratum. Juge-

rum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus est pedes CXX, & longus totidem. is modus acnua Latine appellatur. Jugeri pars minima dicitur scripulum, id est, decem pedes in longitudinem & latitudinem quadratum. Ab hoc principio mensores nonnunquam dicunt in subsicivum esse unciam agri, aut sextantem, aut quid aliud, cum ad jugerum pervenerunt: id habet scripula CCLXXXVIII, quantum as antiquus noster ante bellum Punicum pendebat. Bina jugera quod a Romulo primum divisa [dicebantur] viritim, quæ, [quod] heredem sequerentur, heredium appellarunt. Hæc postea [a] centum Centuria dicta. Centuria est quadrata in omnes quatuor partes, ut habeat latera longa pedum ∞ ∞ D. Hæ porro quatuor centuriæ conjunctæ, ut sint in utramque partem binæ, appellantur in agris divisis viritim publice saltus.

XI. In modo fundi non animadverso lapsi sunt multi, quod alii villam minus magnam fecerunt, quam modus postulavit, alii majorem, cum utrumque sit contra rem familiarem ac fructum. majora enim tecta & ædificamus pluris, & tuemur sumtu majore. minora cum sunt quam postulat fundus, fructus solent disperire. [LICINIUS,] Dubium enim non est, quin cella vinaria major sit faciunda in eo agro, ubi vineta sint ampliora: ut horrea, si frumentarius ager est. Villam ædificandum potissimum, ut intra sæpta villæ habeat aquam: si non, quam proxime. primum, quæ ibi sit nata; secundum, quæ influat perennis. Si omnino aqua

non eſt viva, ciſternæ faciundæ ſub tectis, & lacus ſub dio, ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti poſſit.

XII. Dandum operam, ut potiſſimum ſub radicibus montis ſilveſtris villam ponas, ubi paſtiones ſint laxæ, ita ut contra ventos, qui ſaluberrimi in agro flabunt. Quæ poſita eſt ad exortus æquinoctiales, aptiſſima, quod æſtate habet umbram, hieme ſolem. Sin cogare ſecundum flumen ædificare, curandum, ne adverſum eum ponas. hieme enim fiet vehementer frigida, & æſtate non ſalubris. Advertendum etiam ſi qua erunt loca paluſtria, & propter eaſdem cauſas, & quod areſcunt, creſcunt animalia quædam minuta, quæ non poſſunt oculi conſequi, & per aera intus in corpus per os ac nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos. FUNDANIUS, Quid potero, inquit, facere, ſi iſtiuſmodi mi fundus hereditate obvenerit, quo minus peſtilentia noceat? Iſtuc vel ego poſſum reſpondere, inquit AGRIUS. Vendas, quot aſſibus poſſis: aut ſi nequeas, relinquas. At SCROFA, Vitandum, inquit, ne in eas partes ſpectet villa, ex quibus ventus gravior afflare ſoleat; neve in convalli cava. & ut potius in ſublimi loco ædifices. qui quod perflatur, ſi quod eſt quod adverſarium inferatur, facilius diſcutitur. Præterea, quod ab ſole toto die illuſtratur, ſalubrior eſt, quod & beſtiolæ, ſi quæ prope naſcuntur & inferuntur, aut efflantur, aut äritudine cito pereunt. Nimbi repentini, ac torrentes fluvii, periculoſi illis, qui in humilibus ac cavis locis ædificia habent, & repentinæ prædonum

manus, quod improvisos facilius opprimere possunt. Ab hoc utroque superiora loca tutiora.

XIII. In villa faciunda stabula, ita ut bubilia sint ibi, hieme quæ possint esse caldiora. Fructus, ut est vinum & oleum, loco plano in cellis, item ut vasa vinaria, & olearia potius faciundum. Aridus, ut est faba & fœnum in tabulatis. Familia ubi versetur, providendum, si fessi opere, aut frigore, aut calore, ubi commodissime possint se quiete reciperare. Vilici proxime januam cellam esse oportet, eumque scire, qui introeat aut exeat noctu, quidve ferat: præsertim si ostiarius est nemo. Inprimis culina videnda, ut sit admota, quod ibi hieme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur, ac capitur. Faciundum etiam plaustris, ac cetero instrumento omni, quibus cœlum pluvium inimicum, in cohorte ut satis magna sint tecta. hæc enim si intra clausum in consæpto, & sub dio, furem modo non metuunt, adversus tempestatem nocentem non resistunt. Cohortes in fundo magno duæ aptiores. una, ut interius compluvium habeat lacum, ubi aqua saliat, qui intra stylobatas cum venit, sit semipiscina. Boves enim ex arvo æstate reducti hic bibunt, hic perfunduntur. nec minus e pabulo dum redierunt anseres, sues, porci. In chorte exteriore lacum esse oportet, ubi maceretur lupinum: item alia, quæ demissa in aquam ad usum aptiora fiunt. Cohors exterior crebro operta stramentis ac palea, occulcata pedibus pecudum, fit ministra fundo, ex ea quod evehatur. Secundum villam duo habere oportet sterquilinia, aut unum bi-

fariam divifum. alteram enim partem ferri oportet e villa novam; alteram veterem tolli in agrum. quod enim infertur recens, minus bonum. id cum flacuit, melius. nec non fterquilinium melius illud, cujus latera & fummum virgis ac fronde vindicatum ab fole. Non enim fucum, quem quærit terra, folem ante exfugere oportet. Itaque periti (qui poffint) ut eo aqua influat, eo nomine faciunt. Sic enim maxime retinetur fucus, in eoque quidam fellas familiaricas ponunt. Ædificium facere oportet, fub quod tectum totam fundi fubjicere poffis meffem, quod vocant quidam nubilarium. Id fecundum aream faciundum, ubi triturus fis frumentum, magnitudine pro modo fundi ex una parti apertum, & id ab area, quo & in trituram proruere facile poffis, & fi nubilare cœperit, inde ut rurfus celeriter rejicere. Feneftras habere oportet ex ea parti, unde commodiffime perflari poffit. FUNDANIUS, Fructuofior, inquit, eft certe fundus propter ædificia, fi potius ad antiquorum diligentiam, quam ad horum luxuriam dirigas ædificationem. Illi enim faciebant ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ rufticæ erant majoris quam urbanæ, quæ nunc funt pleræque contra. illic laudabatur villa, fi habebat culinam rufticam bonam, præfepias laxas, cellam vinariam & oleariam ad modum agri aptam, & pavimento proclivi in lacum. quod fæpe, ubi conditum novum vinum, orcæ in Hifpania fervore mufti ruptæ, neque non & dolia in Italia. item cetera ut effent in villa hujufcemodi, quæ cultura quæreret,

providebant. Nunc contra villam urbanam quam maximam ac politiſſimam habeant, dant operam: ac cum Metelli ac Luculli villis, peſſimo publico ædificatis, certant. quo hi laborant, ut ſpectent ſua æſtiva triclinaria ad frigus orientis, hiberna ad ſolem occidentem, potius quam, ut antiqui, in quam partem cella vinaria aut olearia feneſtras haberet, cum fructus in ea vinarius quærat ad dolia aera frigidiorem, ita olearia caldiorem. Item videre oportet, ſi eſt collis, (niſi quid impedit) ut ibi potiſſimum ponatur villa.

XIV. Nunc de ſæptis, quæ tutandi cauſa fundi, aut partis fiant, dicam. Earum tutelarum genera IV. unum naturale, alterum agreſte, tertium militare, quartum fabrile. Horum unumquodque ſpecies habet plures. Primum naturale ſæpimentum, quod obſeri ſolet virgultis aut ſpinis, quod habet radices, ac [vivæ ſæpis] prætereuntis laſcivi non metuet facem ardentem. Secunda ſæpes eſt ex agreſti ligno, ſed non vivit. Fit aut palis ſtatutis crebris, e virgultis implicatis; aut latis perforatis, & per ea foramina trajectis longuriis fere binis aut ternis: aut ex arboribus truncis demiſſis in terram, deinceps conſtitutis. Tertium militare ſæpimentum eſt foſſa, & terreus agger. ſed foſſa ita idonea, ſi omnem aquam, quæ e cœlo venit, recipere poteſt, aut faſtigium habet, ut exeat e fundo. agger is bonus, qui intrinſecus junctus foſſa, aut ita arduus, ut eum tranſcendere non ſit facile. Hoc genus ſæpes fieri ſecundum vias publicas ſolent, & ſecundum amnes. Ad viam ſalariam, in agro Cruſtumino, videre licet

locis aliquot conjunctos aggeres cum fossis, ne flumen agris noceat. Aggeres qui faciunt sine fossa, eos quidam vocant muros, ut in agro Reatino. Quartum fabrile sæpimentum est novissimum, maceria. hujus fere species quatuor: quod fiunt e lapide, ut in agro Tusculano: quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra, & lapillis compositis in formis, ut in Hispania, & agro Tarentino.

XV. Præterea sine sæptis fines prædii, sationis, notis arborum tutiores fiunt, ne familiæ rixentur cum vicinis, ac limites ex litibus judicem quærant. Serunt alii circum pinos, ut habet uxor in Sabinis. alii cupressos, ut ego habui in Vesuvio. alii ulmos, ut multi habent in Crustumino: quod ubi id potest, ut ibi, quod est campus, nulla potior serenda, quod maxime fructuosa, quod & sustinet sæpem; ac colit aliquot corbulas uvarum, & frondem jucundissimam ministrat ovibus ac bubus, ac virgas præbet sæpibus, & foco, ac furno. SCROFA, igitur primum hæc, quæ dixi, quatuor videnda agricolæ: de fundi forma, terræ natura, de modo agri, de finibus tuendis.

XVI. Relinquitur altera pars, quæ est extra fundum. Cujus appendices vehementer pertinent ad culturam, propter affinitatem. Ejus species totidem: si vicina regio est infesta. si quo neque fructus nostros exportare expediat, neque inde quæ opus sunt, apportare. tertium, si viæ, aut fluvii, qua portentur, aut non sunt, aut idonei non sunt. quartum, si

quid ita est in confinibus fundis, ut nostris agris prosit aut noceat. E queis quatuor, quod est primum, refert, infesta regio sit, necne. multos enim agros egregios colere non expedit, propter latrocinia vicinorum, ut in Sardinia quosdam, qui sunt prope Celiem, & in Hispania prope Lusitaniam. Quæ vicinitatis invectos habent idoneos, quæ ibi nascuntur ubi vendant, & illinc invectos opportunos ad ea, quæ in fundo opus sunt, quod propterea sunt fructuosa. Multi enim habent in prædiis, quibus frumentum, aut vinum, aliudve quid desit importandum. contra, non pauci, quibus aliquid sit exportandum. Itaque sub urbe colere hortos late expedit, sic violaria, ac rosaria, item multa, quæ urbs recipit, cum eadem in longinquo prædio, ubi non sit, quo deferri possit venale, non expediat colere. Item, si ea oppida aut viciniæ, aut etiam divitum copiosi agri ac villæ, unde non care emere possis, quæ opus sunt in fundum, quibusque, quæ supersint, venire possint; ut quibusdam pedamenta, aut perticæ, aut arundo; fructuosior sit fundus, quam si longe sint importanda, nonnunquam etiam, quam si colendo in tuo ea parare possis. Itaque in hoc genus coloni potius anniversarios habent vicinos, quibus imperant medicos, fullones, fabros, quam in villa suos habeant: quorum nonnunquam unius artificis mors tollit fundi fructum. quam partem latifundii divites domesticæ copiæ mandare solent. Si enim ab fundo longius absunt oppida aut vici, fabros parent, quos habeant in villa: sic ceteros necessarios artifices, ne de fundo familia ab

opere discedat, ac profestis diebus ambulet feriata potius, quam opere faciundo agrum fructuosiorem reddat. Itaque ideo Sasernæ liber præcipit, ne quis de fundo exeat præter vilicum & promum, & unum, quem vilicus legat. si quis contra exierit, ne impune abeat. si abierit, ut in vilicum animadvertatur. Quod potius ita præcipiendum fuit, ne quis injussu vilici exierit, neque vilicus injussu domini longius, quam ut eodem die redierit, neque id crebrius, quam opus esset fundo. Tertio eundem fundum fructuosiorem faciunt vecturæ, si viæ sunt, qua plaustra agi facile possint: aut flumina propinqua, qua navigari possit. quibus utrisque rebus evehi atque invehi, ad multa prædia scimus. Quarto refert etiam ad fructus, quemadmodum vicinus in confinio consitum agrum habeat. si enim ad limitem quercetum habet, non possis recte secundum eam silvam serere oleam, quod usque eo est contrarium natura, ut arbores non solum minus ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundum se reclinent, ut vitis adsita ad olus facere solet. ut quercus, sic juglandes magnæ & crebræ finitimæ, fundi oram faciunt sterilem.

XVII. De Fundi IV partibus, quæ cum solo hærent, & alteris IV, quæ extra fundum sunt, & ad culturam pertinent, dixi. Nunc dicam agri quibus rebus colantur, quas res alii dividunt in duas partes, in homines, & adminicula hominum, sine quibus rebus colere non possunt. Alii in tres partes, instrumenti genus vocale, & semivocale, & mutum, vocale, in quo sunt servi. semivocale, in quo sunt

boves. mutum, in quo ſunt plauſtra. Omnes agri coluntur hominibus ſervis aut liberis, aut utriſque. Liberis, aut cum ipſi colunt, ut plerique pauperculi cum ſua progenie: aut mercenariis, cum conducticiis liberorum operis res majores, ut vindemias, ac fœniſicia adminiſtrant: iique, quos obæratos noſtri vocitarunt, & etiam nunc ſunt in Aſia atque Ægypto, & in Illyrico complures. De quibus univerſis hoc dico: Gravia loca utilius eſſe mercenariis colere, quam ſervis, & in ſalubribus quoque locis opera ruſtica majora, ut ſunt in condendis fructibus vindemiæ, aut meſſis. De his, cujuſmodi eſſe oporteat, Caſſius ſcribit hæc: Operarios parandos eſſe, qui laborem ferre poſſint, ne minores annorum XXII, & ad agriculturam dociles. Eam conjecturam fieri poſſe ex aliarum rerum imperatis, & more incolarum e novitiis requiſito, ad priorem dominum quid factitarent. Mancipia eſſe oportere neque formidoloſa, neque animoſa. Qui præſint eſſe oportere, qui literis, aliqua ſint humanitate imbuti, frugi, ætate majore, quam operarios, quos dixi. Facilius enim his, quam minoribus natu, ſunt dicto audientes. Præterea potiſſimum eos præeſſe oportet, qui periti ſint rerum ruſticarum. non ſolum enim debere imperare, ſed etiam facere, ut facientem imitentur, & ut animadvertant eum cum cauſa ſibi præeſſe, quod ſcientia præſtet & uſu. neque illi concedendum, ita imperare, ut verberibus coherceat potius quam verbis, ſi modo idem efficere poſſis. Neque ejuſdem nationis plures parandos eſſe. ex eo enim potiſſimum ſolere offenſiones domeſti-

cas fieri. Præfectos alacriores faciundum præmiis: dandaque opera, ut habeant peculium, & conjunctas conservas, e quibus habeant filios. eo enim fiunt firmiores, ac conjunctiores fundo. Itaque propter has cognationes Epiroticæ familiæ sunt illustriores ac cariores. Ad injiciendum voluptatem his præfecturæ, honore aliquo habendi sunt: & de operariis, qui præstabunt aliqui, communicandum quoque cum iis, quæ faciunda sunt opera. quod ita cum sit, minus se putant despici, atque aliquo numero haberi a domino. Studiosiores ad opus fieri liberalius tractando, aut cibariis, aut vestitu largiore, aut remissione operis, concessioneve, ut peculiare aliquid in fundo pascere liceat, aut hujuscemodi rerum aliis, ut quibus quid gravius sit imperatum, aut animadversum, qui consolando eorum restituat voluntatem ac benevolentiam in dominum.

XVIII. De familia: Cato dirigit ad duas metas, ad certum modum agri, & genus sationis, scribens de olivetis & vinetis, ut duas formulas. unam, in qua præcipit, quomodo olivetum agri jugerum CCXL instruere oporteat. Dicit enim in eo modo hæc, mancipia XIII habenda, vilicum, vilicam, operarios V, bubulcos III, asinarium I, subulcum I, opilionem I. Alteram formulam scribit de vinearum jugeribus centum, ut dicat haberi oportere hæc, XV mancipia, vilicum, vilicam, operarios X, bubulcum, asinarium, subulcum. Saserna scribit, satis esse ad jugera VIII hominem unum: ea debere eum confodere diebus XLV, tametsi quaternis operis singula

jugera possit. sed relinquere se operas XIII, valetudini, tempestati, inertiæ, indulgentiæ. LICINIUS, Horum neuter satis dilucide modulos reliquit nobis. Quod Cato si voluit (ut debuit) uti proportione, ad majorem fundum vel minorem adderemus, vel demeremus, extra familiam debuit dicere vilicum & vilicam. Neque enim si minus CCXL jugera oliveti colas, non possis minus uno vilico habere: nec si bis tanto ampliorem fundum, aut eo plus colas, ideo duo vilici, aut tres habendi fuere. Operarii modo & bubulci pro portione demendi, vel addendi, ad minores, majoresve modos fundorum. hi quoque, si similis est ager. sin est ita dissimilis, ut totus arari non possit, ut si sit confragosus atque arduus clivis, minus multi opus sunt boves, & bubulci. Mitto illud, quod modum, neque unum, nec modicum proposuit CCXL jugerum. Modicus enim centuria, & ea CC jugerum, e quo cum sexta pars sit ea XL, quæ de CCXL demuntur, non video quemadmodum ex ejus præcepto demam sextam partem: & de XIII mancipiis nihilo magis si vilicum, & vilicam removero, quemadmodum ex XI sextam partem demam. Quod autem ait in C jugeribus vinearum opus esse XV mancipia, si quis habebit centuriam, quæ sit dimidium vineti, dimidium oliveti, sequetur, ut duo vilicos & duas vilicas habeat: quod est deridiculum. Quare alia ratione modus mancipiorum generatim est animadvertendus, & magis in hoc Saserna probandus, qui ait, singula jugera quaternis operis uno operario ad conficiendum satis esse. Sed si hoc in Sasernæ fundo

in Gallia satis fuit, non continuo idem in agro Ligustico montano. Itaque de familiæ magnitudine & reliquo instrumento commodissime scies, quantum pares, si tria animadverteris diligenter. In vicinitate prædia cujusmodi sint, & quanta, & quot quæque hominibus colantur; & quot additis operis aut demtis melius, aut deterius habeas cultum. Bivium enim nobis ad culturam dedit natura, experientiam, & imitationem. Antiquissimi agricolæ tentando pleraque constituerunt, liberi eorum magnam partem imitando. Nos utrumque facere debemus, & imitari alios, & aliter ut faciamus experientia tentare quædam; sequentes non aleam, sed rationem aliquam: ut si altius repastinaverimus, aut minus, quam alii, quod momentum ea res habeat. ut fecerunt ii, in sariendo iterum, & tertio, & qui insitiones ficulnas ex verno tempore in æstivum contulerunt.

XIX. De reliqua parte instrumenti, quod semivocale appellatur, Saserna ad jugera CC arvi, boum juga duo satis esse scribit. Cato in olivetis CCXL jugerum, boves trinos. ita fit, ut Saserna dicat verum, ad centum jugera jugum opus esse, si Cato, ad octogena. Sed ego neutrum horum ad omnem agrum convenire puto, & utrumque ad aliquem. alia enim terra facilior aut difficilior est alia. Terram boves proscindere nisi magnis viribus non possunt, & sæpe fracta bura relinquunt vomeres in arvo. Quo sequendum nobis in singulis fundis, dum sumus novicii, triplici regula, superioris domini instituto, & vicinorum, & experientia quadam.

Quod addit asinos, qui stercus vectent, treis, asinum molarium, in vinea jugerum C jugum boum, asinorum jugum, asinum molarium: in hoc genere semivocalium, adjiciendum de pecore, ea sola, quæ agri colendi causa erunt, ut solent esse pecuaria, pauca habenda, quo facilius mancipia, quæ solent se tueri, & assidua esse possint. In eo numero non modo qui prata habent, ut potius oves quam sues habeant, curant, sed etiam qui prata non habent, quia non solum pratorum causa habere debent, sed etiam propter stercus.

XX. Igitur de omnibus quadrupedibus prima est probatio, qui idonei sint boves, qui arandi causa emuntur, quos rudis, neque minoris trimos, neque majoris quadrimos parandum. ut viribus magnis sint, ac pares, ne in opere firmior imbelliorem conficiat: amplis cornibus, & nigris potius quam aliter: ut sint lata fronte, naribus simis, lato pectore, crassis coxendicibus. Hos veteranos ex campestribus locis non emendum in dura ac montana: nec non, ita si incidit ut sit, vitandum. Novellos cum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit, ac dederit cibum, diebus paucis erunt mansueti, & ad domandum proni. Tum ita subigendum, ut minutatim assuefaciant, & ut tironem cum veterano adjungant. imitando enim facilius domatur. & primum in æquo loco, & sine aratro, tum eo levi, & principio per arenam, aut molliorem terram. Quos ad vecturas, item instituendum, ut inania primum ducant plaustra, & si possis, per vicum aut oppidum. Creber crepitus, ac

varietas rerum consuetudine celerrima ad utilitatem adducit. Neque pertinaciter, quem feceris dexterum, in eo manendum. Quod si alternis fit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies. Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis quod arant, eo facilius ad aratrum leve adduci possunt, ad molas, & ad ea, si quæ sunt, quæ in fundo convehuntur. In qua re alii asellis, alii vaccis ac mulis utuntur, exinde ut pabuli facultas est. nam facilius asellus, quam vacca alitur; sed fructuosior hæc. In eo agricolæ hoc spectandum, quo fastigio sit fundus. in confragoso enim ac difficili hæc valentiora parandum, & potius ea, quæ plus fructum reddere possint, cum idem operis faciant.

XXI. Canes potius cum dignitate, & acres paucos habendum, quam multos. quos consuefacias potius noctu vigilare, & interdiu clausos dormire. De indomitis quadrupedibus, ac pecore [faciundum.] Si prata sunt in fundo, neque pecus habet, danda opera, ut pabulo vendito, alienum pecus in suo fundo pascat ac stabulet.

XXII. De reliquo instrumento muto, in quo sunt corbulæ, & dolia, & alia, hæc præcipienda. Quæ nasci in fundo, ac fieri a domesticis poterunt, eorum ne quid ematur, ut fere sunt, quæ ex viminibus & materia rustica fiunt, ut corbes, fiscinæ, tribula, mallei, rastelli. Sic quæ fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes. Quæ e fundo sumi non poterunt, ea si emta erunt potius ad utilitatem, quam ob speciem, sum-

tu fructum non extenuabunt. eo magis, si inde emta erunt potissimum, ubi ea & bona, & proxime, & vilissimo emi poterunt. Cujus instrumenti varia discrimina ac multitudo agri magnitudine finitur, quod plura opus sunt, si fines distant late. Itaque, STOLO inquit, proposita magnitudine fundi, de eo genere Cato scribit. Oliveti jugera CCXL qui coleret, eum instruere ita oportere, ut faceret vasa olearia juga V, quæ membratim enumerat. ut ex ære ahenea, urceos, nassiternam, item alia. sic e ligno & ferro, ut plostra majora tria, aratra cum vomeribus sex, crates stercorarias quatuor, item alia. sic de ferramentis quæ sint, & quot opus ad multitudinem, ut ferreas octo, sarcula totidem, dimidio minus palas, item alia. Item alteram formulam instrumenti fundi vinarii fecit, in qua scribit, Si sit centum jugerum, habere oportere vasa torcularia instructa trina, dolia cum operculis culleorum octingentorum, acinaria XX, frumentaria XX. item ejusmodi alia. quæ minus multa quidem alii, sed tantum numerum culleorum scripsisse puto, ne cogeretur quotannis vendere vinum. Vetera enim quam nova, & eadem alio tempore, quam alio pluris. Item sic de ferramentorum varietate scribit permulta, & genere & multitudine qua sint, ut falces, palas, rastros. Sic alia, quorum nonnulla genera species habent plures, ut falces. nam dicuntur ab eodem scriptore vineaticæ opus esse sex, sirpiculæ V, silvaticæ V, arborariæ III, & rustariæ X. Hic hæc. At SCROFA, Instrumentum & supellectilem rusticam omnem oportet habere scri-

ptam in urbe & rure dominum. vilicum contra ea ruri omnia certo suo quæque loco ad villam [debent esse] posita. Quæ non possunt esse sub clavi, quam maxime facere, ut sint in conspectu, oportet. eo magis ea, quæ in rariore sunt usu, ut quibus in vindemia utuntur, ut corbulæ, & sic alia. quæ enim res quotidie videntur, minus metuunt furem.

XXIII. Suscipit AGRASIUS, Et quoniam habemus illa duo prima, ex divisione quadripartita, de fundo, & de instrumento, quo coli solet; de tertia parte exspecto. SCROFA, Quoniam fructum, inquit, arbitror esse fundi eum, qui ex eo satus nascitur utilis ad aliquam rem; duo consideranda, quæ, & quo quidque loco maxime expediat serere. Alia enim loca apposita sunt ad fœnum, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum. Sic ad pabulum quæ pertinent, in quo est ocimum, farrago, vicia, Medica, cytisum, lupinum. Neque in pingui terra omnia seruntur recte, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra ea, quæ non multo indigent suco, ut cytisum & legumina, præter cicer: hoc enim quoque legumen, ut cetera, quæ velluntur e terra, non subsecantur: quæ, quod ita leguntur, legumina dicta. in pingui rectius, quæ cibi sunt majoris, ut holus, triticum, siligo, linum. Quædam etiam serenda non tam propter præsentem fructum, quam in annum prospicientem, quod ibi subsecta atque relicta terram faciunt meliorem. Itaque lupinum cum necdum siliculam cepit, & nonnunquam fabalia, si ad siliquas non ita

pervenit, ut fabam legere expediat, si ager macrior est, pro stercore inarare solent. Nec minus ea discriminanda in conserundo, quæ sunt fructuosa, propter voluptatem, ut quæ pomaria ac floralia appellantur. Item illa, quæ ad hominum victum ac sensum, delectationemque non pertinent, neque ab agri utilitate sunt dijuncta. Idoneus locus eligendus, ubi facias salictum & arundinetum, sic alia, quae humidum locum quærunt. Contra, ubi segetes frumentarias, ibi fabam potissimum feras. Item alia, quæ arida loca sequuntur: sicut umbrosis locis alia feras, ut corruda, quod ita petit asparagus: & apricis, ut ibi feras violam, & hortos facias, quod ea sole nutricantur. Sic alia & alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. Alio loco ut feras ac colas silvam cæduam, alio ubi aucupare. Sic ubi cannabim, linum, juncum, spartum, unde nectas bubus paleas, lineas, restes, funes. Quædam loca eadem alia ad ferendum idonea. nam & in recentibus pomariis desitis seminibus, in ordinemque arbusculis positis primis annis ante quam radices longius procedere possint, alii conserunt hortos, alii quid aliud. neque cum convaluerunt arbores, idem faciunt, ne violent radices. STOLO ad hæc: Quod ad hæc pertinet, Cato non male quod scribit de sationibus, ager crassus & lætus, si sit sine arboribus, eum agrum frumentarium fieri oportere. idem ager si nebulosus sit, rapa, raphanos, milium, panicum.

XXIV. In agro crasso & calido oleam condita-

neam, radium majorem Sallentinam, orchitem, poſeam, Sergianam, colminiam, albicerem: quam earum in his locis optimam dicent eſſe, eam maxime ſerere. Agrum oliveto conſerundo, niſi qui in ventum favonium ſpectet, & ſoli oſtentus ſit, alium bonum nullum eſſe. Qui ager frigidior & macrior ſit, ibi oleam Licinianam ſeri oportere. Si in loco craſſo, aut calido poſueris, hoſtum nequam fieri, & ferendo arborem perire, & muſcum rubrum moleſtum eſſe. Hoſtum vocant, quod ex uno facto olei reficitur. Factum dicunt, quod uno tempore conficiunt. quem alii CLX ajunt eſſe modiorum, alii ita minus magnum, ut ad CXX deſcendat & exinde, ut vaſa olearia quot, & quanta habeant, quibus conficiunt illud. Quod Cato ait, circum fundum ulmos & populos, unde frons ovibus & bubus ſit, & materies, ſeri oportere. ſed hoc neque in omnibus fundis opus eſt, neque in quibus eſt opus, propter frondem maxime, ſine detrimento ponuntur ab ſeptemtrionali plaga, quod non officiunt ſoli. Ille adjicit ab eodem ſcriptore, Si locus humectus ſit, ibi cacumina populorum ſerunda & arundinetum. id prius bipalio verti, ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio ſeri, ibi quoque corrudam, unde aſparagi fiant; aptam eſſe utrique eandem fere culturam. ſalicem Græcam circum arundinetum ſeri oportere, uti ſit, qui vitis alligari poſſit.

XXV. Vinea quo in agro ſerunda ſit, ſic obſervandum. Qui locus optimus vino ſit, & oſtentus ſoli, Aminæum minuſculum & geminum euge-

neum, helveolum minuſculum ſeri oportere. qui locus craſſior ſit, aut nebuloſus, ibi Aminæum majus, aut Murgentinum, Apicium, Lucanum ſeri. ceteras vites, & de his miſcellas maxime, in omne genus agri convenire.

XXVI. In omni vinea diligenter obſervant, ut ridica vitis ab ſeptemtrione verſus tegatur. & ſi cupreſſos vivas pro ridicis inſerunt, alternos ordines imponunt: neque eas creſcere altius, quam ridicas patiuntur, neque propter eas adſerunt vites, quod inter ſe hæc inimica. AGRIUS Fundanio, Vereor, inquit, ne ante æditimus veniat huc, quam hic ad quartum actum. vindemiam enim exſpecto. Bono animo es, inquit SCROFA: ac fiſcinam expedi & urnam.

XXVII. Et quoniam tempora duorum generum ſunt, unum annale, quod ſol circuitu ſuo finit; alterum menſtruum, quod luna circumiens comprehendit: prius dicam de ſole. Ejus curſus annalis primum fere circiter ternis menſibus ad fructus eſt diviſus in IV partes, & idem ſubtilius ſeſquimenſibus in VIII. In quatuor, quod dividitur in ver, & æſtatem, & auctumnum, & hiemem. Vere ſationes quædam fiunt, terram rudem proſcindere oportet, quæ ſunt ex ea enata, priuſquam ex iis quid ſeminis cadat, ut ſint exradicata; & ſimul glæbis ab ſole percalefactis aptiores facere ad accipiendum imbrem, & ad opus faciliores, relaxatas. neque eam minus bis arandum, ter melius. Æſtate fieri meſſes oportere. Auctumno ſiccis tempeſtatibus vindemias, ac ſilvas excoli commodiſſime: tunc præcidi arbo-

res oportere ſecundum terram. Radices autem prioribus imbribus ut effodiantur, ne quid ex his naſci poſſit. Hieme putari arbores dumtaxat his temporibus, cum gelu cortices & imbribus careant, & glacie.

XXVIII. Dies primus eſt veris in Aquario, æſtatis in Tauro, auctumni in Leone, hiemis in Scorpione. Cum uniuſcujuſque horum quatuor ſignorum dies tertius & viceſimus, quatuor temporum ſit primus; efficitur, ut ver dies habeat XCI, æſtas XCIV, auctumnus XCI, hiems XXCIX. Quæ redacta ad dies civiles noſtros, qui nunc ſunt primi verni temporis ex a. d. VII Id. Feb. æſtivi ex a d. IV Idib. Maji. auctumnales ex a. d. VII Idib. Sext. hiberni ex a. d. IV Id. Novemb. Subtilius diſcretis temporibus obſervanda quædam ſunt, ea quæ in partes VIII dividuntur. Primum a favonio ad æquinoctium vernum dies XL. hinc ad Vergiliarum exortum dies XLIV. ab hoc ad ſolſtitium dies XLVIII inde ad Caniculæ ſignum dies XXIX. dein ad æquinoctium auctumnale dies LXVII. exin ad Vergiliarum occaſum dies XXXII. ab hoc ad brumam dies LVII. inde ad favonium dies XLV.

XXIX. In primo intervallo, inter favonium & æquinoctium vernum, hæc fieri oportet. Seminaria omne genus ut ſerantur, putari inprimis, circum vites ablaqueari, radices, quæ in ſumma terra ſunt, præcidi, prata purgari, ſalicta ſeri, ſegetes ſariri. Seges dicitur, quod aratum ſatum eſt: arvum, quod aratum, nec dum ſatum eſt. Novalis, ubi ſatum fuit ante, quam ſecunda aratione renovetur. Rurſum

terram cum primum arant, proſcindere appellant; cum iterum, offringere dicunt; quod prima aratione glæbæ grandes ſolent excitari, [cum iteratur, offringere vocant.] tertio cum arant jacto ſemine, [boves] lirare dicuntur: id eſt, cum tabellis additis ad vomerem ſimul, & ſatum frumentum operiunt in porcis, & ſulcant foſſas, quo pluvia aqua delabatur. nonnulli poſtea, qui ſegetes non tam latas habent, (ut in Apulia) id genus prædii per ſaritores occare ſolent, ſi quæ in porcis relictæ grandiores ſunt glæbæ. Qua aratrum vomere lacunam ſtriam facit, ſulcus vocatur. Quod eſt inter duos ſulcos, elata terra, dicitur porca, quod ea ſeges frumentum porricit. Sic quoque exta Deis cum dabant, porricere dicebant.

XXX. Secundo intervallo inter vernum æquinoctium & Vergiliarum exortum hæc fieri. Segetes runcari, [herbam e ſegetibus expurgari,] boves terram proſcindere, ſalicem cædi, prata defendi. quæ ſuperiore tempore fieri oportuerit, & non ſunt abſoluta, antequam gemmas agant ac floreſcere incipiant, fieri. quod ſi, quæ folia amittere ſolent, ante frondere inceperint, ſtatim ad ſerendum idoneæ non ſunt. Oleam ſeri, interputarique oportet.

XXXI. Tertio intervallo, inter Vergiliarum exortum & ſolſtitium, hæc fieri debent. Vineas novellas fodere, aut arare, & poſtea occare, id eſt, comminuere, ne ſit glæba. quod ita occidunt, occare dicunt. Vites pampinari, ſed a ſciente. nam id, quam putare majus, neque in arbuſto, ſed in vinea fieri.

Pampinare est ex sarmento coles, qui nati sunt, de iis, qui plurimum valent, primum ac secundum, nonnunquam etiam tertium, relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare sucum. Ideo in vitiario primitus cum exit vitis, tota resecari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat, atque in pariendis colibus vires habeat majores. Ejuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neque ex se potest ejicere vitem: quam vocant minorem flagellum, majorem etiam, unde uvæ nascuntur, palmam. prior litera una mutata declinata a venti flatu, similiter flabellum ac flagellum. posterior, quo ea vitis immittitur ad uvas pariendas, dicta primo videtur a pariendo parilema: exin mutatis literis, ut in multis, dici cœpta palma. Ex altera parte caprea dicta, quod parit capreolum. is est coliculus viteus intortus, ut cincinnus. is enim vites ut teneat, serpit ad locum capiundum. ex quo a capiendo capreolus dictus. Omne pabulum, primum ocimum, farraginem, viciam, novissime fœnum secari. ocinum dictum a Græco verbo ὠκέως, quod valet cito. Similiter quo ocimum in horto. Hoc amplius dictum ocinum, quod citat alvum bubus, & ideo iis datur, ut purgentur. id ex fabuli segete viride sectum antequam genat siliquas. Contra ex segete, ubi sata admixta ordeum & vicia, & legumina pabuli causa viridia, quod [far] ferro cæsa, farrago dicta, aut nisi quod primum in farracia segete seri cœptum. Ea equi, & jumenta cetera verno tempore purgantur, ac saginantur. Vicia dicta a vinciendo, quod item capreo-

los habet, ut vitis, quibus cum sursum vorsum serpit ad scapum lupini, aliumve quem, ut hæreat, id solet vincire. Si prata irrigua habebis, simulac fœnum sustuleris, irrigare. In poma, quæ insita erunt, siccitatibus aquam addi quotidie. a quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt.

XXXII. Quarto intervallo inter solstitium & caniculam plerique messem faciunt, quod frumentum dicant quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere, cum sit maturum. Arationes absolvi, quæ eo fructuosiores fiunt, quo calidiore terra aratur. Cum prosciderіs, offringi oportet, id est, iterare, ut frangantur glæbæ. prima enim aratione grandes glæbæ ex terra scinduntur. Serendum viciam, lentem, cicerculam, ervilam, ceteraque, quæ alii legumina, alii (ut Gallicani quidam) legaria appellant, utraque dicta a legendo, quod ea non secantur, sed vellendo leguntur. Vineas veteres iterum occare, novellas etiam tertio, si sunt etiam tum glæbæ.

XXXIII. Quinto intervallo inter caniculam & æquinoctium auctumnale oportet stramenta desecari, & acervos construi, aratro offringi, frondem cædi, prata irrigua iterum secari.

XXXIV. Sexto intervallo ab æquinoctio auctumnali incipere [scribunt] oportere serere, usque ad diem XCI. post brumam, nisi quæ necessaria causa coegerit, non serere: quod tantum intersit, ut ante brumam sata, septimo die; quæ a bruma sata, XL die vix exsistant. neque ante æquinoctium incipi oportere putant, quod, si mi-

nus idoneæ tempeſtates ſint conſecutæ, puteſcere ſemina ſoleant. Fabam optime ſeri in Vergiliarum occaſu. Uvas autem legere, & vindemiam facere inter æquinoctium auctumnale & Vergiliarum occaſum. Dein vites putare incipere, & propagare, & ſerere poma. Hæc aliquot regionibus, ubi maturius frigora fiunt aſperiora, melius verno tempore.

XXXV. Septimo intervallo inter Vergiliarum occaſum & brumam hæc fieri oportere, [dicunt.] Serere lilium, & crocum, quod jam egit radicem; roſam. ea conciditur radicitus in virgulas palmares, & obruitur. hæc eadem poſtea transfertur facta viviradix. Violaria in fundo facere non eſt utile; ideo quod neceſſe eſt terra adruenda, pulvinos fieri, quos irrigationes & pluviæ tempeſtates abluunt, & agrum faciunt macriorem. Ab favonio uſque ad arcturi exortum recte ſerpullum e ſeminario transferri: quod dictum ab eo, quod ſerpit. Foſſas novas fodere, veteres tergere, vineas arbuſtumque putare, dum in xv diebus ante & poſt brumam, ut pleraque ne facias: nec non tum aliquid recte ſeritur, ut ulmi.

XXXVI. Octavo intervallo inter brumam & favonium hæc fieri oportet. de ſegetibus, ſi qua eſt aqua, deduci: ſin ſiccitates ſunt, & terra teneritudinem habet, ſarire. vineas, arbuſtaque putare. Cum in agris opus fieri non poteſt, quæ ſub tecto poſſunt, tunc conficienda antelucano tempore hiberno. Quæ dixi, ſcripta & poſita habere in villa oportet, maxime ut vilicus norit.

XXXVII. Dies lunares quoque obſervandi, qui quodammodo bipartiti. Quod nova luna creſcit ad plenam, & inde rurſus ad novam lunam decreſcit, quod veniat ad intermenſtruum, e quo die dicitur luna eſſe extrema, & prima; a quo eum diem Athenis appellant ἕνην καὶ νέαν, τριακάδα alii. quædam faciunda in agris potius creſcente luna, quam ſeneſcente: quædam contra, quæ metas, ut frumenta, & cæduam ſilvam. Ego iſta etiam, inquit AGRASIUS, non ſolum in ovibus tondendis, ſed in meo capillo a patre acceptum ſervo, ni deſcreſcente luna tondens calvus fiam. AGRIUS, Quemadmodum, inquit, luna quadripartita? & quid ea diviſio ad agros pollet? TREMELLIUS, Nunquam rure audiſti, inquit, octavo Janam [lunam] & creſcentem, & contra ſeneſcentem; & quæ creſcente luna fieri oporteret, [&] tamen quædam melius fieri poſt octavo Janam [lunam,] quam ante? & ſi quæ ſeneſcente fieri conveniret, melius, quanto minus haberet ignis id aſtrum? Dixi de quadripartita forma culturæ agri. STOLO, Eſt altera, inquit, temporum diviſio conjuncta quodammodo cum ſole & luna, quæ in ſex partita, quod omnis fere fructus quinto denique gradu pervenit ad perfectum, ac videt in villa dolium, ac modium, unde ſexto prodit ad uſum. Primo præparandum, ſecundo ſerendum, tertio nutricandum, quarto legendum, quinto condendum, ſexto promendum. Ad alia in præparando, faciendi ſcrobes, aut repaſtinandum, aut ſulcandum, ut ſi arbuſtum aut pomarium facere velis. ad alia arandum, aut fodiendum, ut ſi ſegetes

instituas. ad quædam bipalio vertenda terra, plus aut minus. aliæ enim radices angustius diffundunt, ut cupressi, aliæ latius, ut platani, usque eo, ut Theophrastus scribat, Athenis in Lyceo, cum etiam tunc platanus novella esset, radices trium & triginta cubitorum egisse. Quædam si bubus & aratro proscideris, & iterandum ante, quam semen jactes. Item præparatio si quæ sit in pratis, id est, ut defendantur a pastione, quod fere observant a piro florente: si irrigua sunt, ut tempestive irrigentur.

XXXVIII. Quæ loca in agro stercoranda videndum, & qui, & quo genere potissimum facias: nam discrimina ejus aliquot. Stercus optimum scribit esse Cassius volucrium, præter palustrium ac nantium. De hisce præstare columbinum, quod sit calidissimum, ac fermentare possit terram. Id ut semen aspergi oportere in agro, non ut de pecore acervatim poni. Ego arbitror præstare ex aviariis turdorum ac merularum, quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum ita bubus ac suibus, ut fiant pingues. Itaque qui aviaria conducunt, si caveat dominus, stercus ut in fundo maneat, minoris conducunt, quam ii, quibus id accedit. Cassius secundum columbinum scribit esse hominis. Tertio caprinum, & ovillum, & asininum. Minime bonum equinum, sed in segetes. in prata enim vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quæ ordeo pascuntur, quod multam facit herbam. Sterquilinium secundum villam facere oportet, ut quam paucissimis operis egeratur. In eo si in medio robusta aliqua materia sit depacta, negant serpentem nasci.

XXXIX. Sationis autem gradus ſecundus hanc habet naturam, ad quod tempus cujuſque ſeminis apta ſit ad ſerendum. Nam refert in agro, ad quam partem cœli quiſque locus ſpectet, ſic ad quod quæque tempus res facillime creſcat. Nonne videmus alia florere verno tempore, alia æſtivo: neque eadem auctumnali, quæ hiberno? Itaque alia ſeruntur, atque inſeruntur, & metuntur ante, aut poſt, quam alia; & cum pleraque vere melius, quam auctumno inſerantur, circiter ſolſtitium inſeri ficos, nec non brumalibus diebus ceraſos. Quare cum ſemina fere quatuor ſint generum, * quæ transferuntur e terra in terram, viviradices; quæ ex arboribus demta dimittitur in humum; quæ inſeruntur ex arboribus in arbores; de ſingulis rebus videndum, quæ quoque tempore locoque facias.

XL. Primum ſemen, quod eſt principium genendi, id duplex: unum, quod latet noſtrum ſenſum; alterum, quod apertum. latet, ſi ſunt ſemina in aere, ut ait phyſicus Anaxagoras; & ſi aqua, quæ influit in agrum, inferre ſolet, ut ſcribit Theophraſtus. Illud, quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter. quædam enim ad genendum [propterea] uſque adeo parva, ut ſint obſcura, ut cupreſſi. non enim galbuli, qui naſcuntur, id eſt tanquam pilæ parvæ corticiæ id ſemen; ſed in iis intus. Primigenia ſemina dedit natura, reliqua invenit experientia coloni. Num prima, quæ ſine colono, priuſquam ſata, nata; ſecunda, quæ ex iis collecta, neque priuſquam ſata, nata. Prima ſemina videre oportet, ne vetuſtate ſint exſucta, aut ne ſint ad-

mixta, aut ne propter similitudinem sint adulterina. Semen vetus tantum valet in quibusdam rebus, ut naturam commutet. nam ex semine brassicæ vetere sato, nasci ajunt rapa, & contra ex raporum brassicam. Secunda semina videre oportet, ne unde tollas, nimium cito, aut tarde tollas.* Tempus enim idoneum, quod scribit Theophrastus, vere & auctumno, & caniculæ exortu: neque omnibus locis ac generibus idem. In sicco & macro loco, & argilloso, vernum tempus idoneum, quo minus habet humoris. In terra bona ac pingui, auctumno, quod vere multus humor, quam sationem quidam metiuntur fere diebus XXX. Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur in terram, sic in humum demittitur, ut in quibusdam tamen sit videndum, ut eo tempore sit deplantatum, quo oportet. id enim fit antequam gemmare aut florere quid incipit: & quæ de arbore transferas, ut ea deplantes potius, quam defringas: quod plantæ solum stabilius, quo latius, ut radices facilius mittat. ea celeriter, antequam sucus exarescat, in terram demittunt. Demum in oleagineis seminibus [arbores] videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant, ac faciunt circiter pedales. Quartum genus seminis, quod transit ex arbore in aliam. Videndum, qua ex arbore in quam transferatur, & quo tempore, & quemadmodum obligetur. non enim pirum recipit quercus; neque enim si malus pirum. Hoc sequuntur multi, qui aruspices audiunt multum, a quibus proditum, in singulis arboribus

quot genera insita sint, uno ictu tot fulmina fieri illud, quod fulmen concepit. si in pirum silvaticam inseveris pirum quamvis bonam, non fore tam jucundum, quam si in eam, quæ silvestris non sit. In quamcunque arborem inseras, si ejusdem generis est dumtaxat, ut sit utraque malus, ita inserere oportet referentem ad fructum, meliori genere ut sit surculus, quam est, quo veniat, arbor. Est altera species ex arbore in arborem inserendi nuper animadversa in arboribus propinquis. Ex arbore, e qua quis vult habere surculum, in eam, quam inserere vult, ramulum traducit, & in ejus ramo præciso, ac diffisso implicat eum locum, qui contingit. ex utraque parte, quod intro est, falce extenuatur, ita ut ex una parte, quod cœlum visurum est, corticem cum cortice exæquatum habeat. Ejus ramuli, quem insereret, cacumen ut directum sit ad cœlum, curat. Postero anno cum comprehendit, unde propagatum est, [ab altera arbore] præcidit.

XLI. Quo tempore quæque transferas, hæc in primis videnda, quod quæ prius verno tempore inserebantur, nunc etiam solstitiali, ut ficus, quod densa materia non est, & ideo sequitur caldorem. A quo fit, ut in locis frigidis ficeta fieri non possint. Aqua recenti insito inimica. tenellum enim cito facit putre. Itaque quod inseritur caniculæ signo, commodissime existimatur inseri. quæ autem natura minus sunt mollia, vas aliquod supra alligant, unde stillet lente aqua, ne prius exarescat surculus, quam coalescat. cujus surculi corticem integrum servandum, & eum sic exacuendum, ut non denudes me-

dullam. ne extrinſecus imbres noceant, aut nimius calor, argilla oblinendum, ac libro obligandum. Itaque vitem, triduo antequam inſerant, deſecant, ut qui in ea nimius eſt humor, diffluat ante, quam inſeratur. at in qua inſerunt, in ea paulo infra, quam inſitum eſt, incidunt: unde humor adventicius effluere poſſit. Contra in fico, & malo Punica, & ſi qua etiam horum natura aridiora, continuo. In aliis translationibus videndum, ut quod transferat in cacumen, habeat gemmam, ut in ficis. De his [primis] quattuor generibus ſeminum, quædam quod tardiora, ſurculis potius utendum, ut in ficetis faciunt. Fici enim ſemen naturale intus in ea fico, quam edimus. quæ ſunt minuta grana, e quibus parvis, quod enaſci coliculi vix queunt. Omnia enim minuta & arida ad creſcendum tarda; ea quæ laxiora, & fœcundiora; ut femina, quam mas. ex proportione in virgultis item. itaque ficus, malus Punica, & vitis, propter femineam mollitiam ad creſcendum prona. contra palma, & cupreſſus, & olea, in creſcendo tarda. in hoc enim humidiora, quam aridiora. quare ex terra potius in ſeminariis ſurculos de ficeto, quam grana de fico expedit obruere: præter ſi aliter nequeas: ut ſi quando quis trans mare ſemina mittere, aut inde petere vult. tum enim reſticulas per ficos, quas edimus, maturas perſerunt, & eas, cum inaruerunt, complicant, ac quo volunt mittunt, ubi obrutæ in ſeminario pariant. Sic genera ficorum, Chiæ, ac Chalcidicæ, & Lydiæ, & Africanæ: item cetera tranſmarina in Italiam perlata. Simili de cauſa oleæ ſemen cum ſit

nucleus, quod ex eo tardius enascebatur colis; quam e taleis, ideo potius in seminariis taleas, quas dixi, serimus.

XLII. De Medica inprimis observes, ne in terram nimium aridam, aut variam, sed temperatam, semen demittas. in jugerum unum, si est natura temperata terra, scribunt opus esse Medicæ sesquimodium. id seritur ita, ut semen jactatur, quemadmodum scilicet cum pabulum & frumentum seritur.

XLIII. Cytisum seritur in terra bene subacta tanquam semen brassicæ: inde differtur, & in sesquipedem ponitur. aut etiam de cytiso duriore virgulæ deplantantur, & ita pangitur in serendo.

XLIV. Seruntur fabæ modii IV in jugero, tritici V, ordei VI, farris X. sed nonnullis locis paulo amplius, aut minus. si enim locus crassus, plus: si macer, minus. quare observabis, quantum in ea regione consuetudo erit serendi: ut tantum facias, quantum valet regio, ac genus terræ. ut ex eodem semine aliubi, cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo, ut in Hetruria, & locis aliquot in Italia. in Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum. in Syria ad Garada, & in Africa ad Byzacium item ex modio nasci centum. Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis: an in vervacto, quæ interdum requierit. Cui AGRIUS, In Olynthia quotannis restibilia esse dicunt, sed ita ut tertio quoque anno uberiores ferant fructus. LICINIUS, Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulo levioribus sationibus serere, id est, quæ mi-

nus ſugunt terram. Dicetur, inquit AGRIUS, de tertio gradu, De nutricationibus, atque alimoniis eorum. LICINIUS, Quæ nata ſunt, inquit, in fundo aleſcunt, adulta concipiunt, prægnantia cum ſunt, matura pariunt poma, aut ſpicam: ſic alia. ſimile ei, a quo profectum, redit ſemen. Itaque ſi florem, acerbumve pirum, aliudve quid decerpſeris, in eodem loco, eodem anno, nihil renaſcitur, quod prægnationis idem bis habere non poteſt. ut enim mulieres habent ad partum dies certos, ſic arbores ac fruges.

XLV. Primum plerumque e terra exit ordeum diebus VII, nec multo poſt triticum. legumina fere quatriduo, aut quinque diebus, præterquam faba. ea enim ſerius aliquanto prodit ſeges. Oſtendit idem milium, & ſeſama, & cetera ſimiliter æquis fere diebus, præterquam ſi quid regio, aut tempeſtas vitii attulit, quo minus ita fiat. Quæ in ſeminario nata, ſi loca erunt frigidiora, quæ molli natura ſunt, per brumalia tempora tegere oportet fronde, aut ſtramentis: ſi erunt imbres ſecuti, videndum, necubi aqua conſiſtat. venenum enim gelum radicibus tenellis ſub terra, & ſupra virgultis, quæ nec eodem tempore æque creſcunt. nam radices auctumno, aut hieme magis ſub terra, quam ſupra, adoleſcunt, quod tectæ terræ tepore propagantur, ſupra terram aere frigidiore ringuntur. idque ita eſſe docent ſilveſtria, ad quæ ſator non acceſſit. nam prius radices, quam ea, quæ ex iis ſolent naſci, creſcunt. neque radices longius procedunt, niſi quo tempore venit ſol. his duplex cauſa, quod & radi-

cum materiam aliam, quam aliam longius projicit natura: & quod alia terra alia facilius viam dat.

XLVI. Propter ejusmodi res admiranda discrimina sunt naturalia; quod ex quibusdam foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, dici possit, ut olea, & populus alba, & salix. Horum enim folia, cum converterunt se, solstitium dicitur fuisse. nec minus admirandum, quod fit in floribus, quos vocant heliotropia, ab eo quod ad solis ortum mane spectant, & ejus iter ita sequuntur ad occasum, ut ad eum semper spectent.

XLVII. In seminario quæ surculis consita, & eorum molliora erunt natura cacumina, ut olea ac ficus, ea summa integenda binis tabellis dextra & sinistra deligatis, herbæque elidendæ, & dum teneræ sunt vellendæ. prius enim aridæ factæ rixantur, ac celerius rumpuntur, quam sequuntur. Contra herba in pratis ad spem fœnisiciæ nata, non modo non evellenda in nutricatu, sed etiam non calcanda, quo pecus a prato ablegandum, & omne jumentum, ac etiam homines. solum enim hominis exitium herbæ, & semitæ fundamentum.

XLVIII. In segetibus autem frumentum, quod culmus extulit. Spica ea, quæ mutilata non est, in ordeo & tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam: & etiam primitus spica cum oritur, vaginam. granum dictum, quod est intimum solidum. gluma, qui est folliculus ejus. arista, quæ ut acus tenuis longa eminet e gluma. proinde ut grani theca sit gluma, & apex arista. Arista & granum omnibus fere notum: gluma paucis. Itaque id

apud Ennium ſolum ſcriptum ſcio eſſe in Euhemeri libris verſis. videtur vocabulum etymon habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. itaque eodem vocabulo appellant fici ejus, quam edimus, folliculum. Ariſta dicta, quod areſcit prima. granum a gerendo. id enim ſeritur, uti ſpica gerat frumentum, non ut glumam aut ariſtam gerat: ut vitis ſeritur, non ut pampinum ferat, ſed uvam. Spica autem, quam ruſtici, ut acceperunt antiquitus, vocant ſpecam, a ſpe videtur nominata. eam enim quod ſperant fore, ſerunt. Spica mutica dicitur, quæ non habet ariſtam: eæ enim quaſi cornua ſunt ſpicarum, quæ primitus cum oriuntur, neque plane apparent, qua ſub latent herba, ea vocatur vagina, uti qua latet conditum gladium. Illud autem ſumma in ſpica jam matura, quod eſt minus quam granum, vocatur frit. quod in infima ſpica, ad culmum ſtramenti ſummum, item minus quam granum eſt, appellatur urruncum.

XLIX. Cum conticuiſſet, nec interrogaretur de nutricatu, credens nihil deſiderari, Dicam, inquit, de fructibus maturis capiendis. Et ille, primum de pratis ſummiſſis, herba cum creſcere deſiit, & æſtu areſcit, ſubſecari falcibus debet, & quoad perareſcat, furcillis verſari. cum peraruit, de his manipulos fieri, ac vehi ad villam. tum de pratis ſtipulam raſtellis eradi, atque addere fœniſiciæ cumulum. Quo facto ſicilienda prata, id eſt, falcibus conſectanda, quæ fœniſeces præterierunt, ac quaſi herba tuberoſum reliquerunt campum. A qua ſectione arbitror dictum ſicilire pratum.

L. Messis proprio nomine dicitur in iis, quae metimur, maxime in frumento, & ab eo esse vocabulo declinata. Frumenti tria genera sunt messionis, unum, ut in Umbria, ubi falce secundum terram succidunt stramentum; & manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra. ubi eos fecerunt multos, iterum eos percensent, ac de singulis secant inter spicas & stramentum: spicas conjiciunt in corbem, atque in aream mittunt. stramenta relinquunt in segete, unde tollantur in acervum. Altero modo metunt, ut in Piceno, ubi ligneum habent incurvum batillum, in quo sit extremo serrula ferrea. hæc cum comprehendit fascem spicarum, desecat, & stramenta stantia in segete relinquit, ut postea subsecentur. Tertio modo metitur, ut sub urbe Roma, & locis plerisque, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summum prehendunt: a quo medio messem dictam puto. infra manum stramentum, quod terræ hæret, postea subsecatur. Contra, quod cum spica stramentum hæret, corbibus in aream defertur. ubi discedit in aperto loco palam: a quo potest nominata esse palea. Alii stramentum a stando, ut stamen, dictum putant. Alii ab stratu, quod id substernatur pecori. Cum est matura seges, metendum, cum in ea jugerum fere una opera propemodum in facili agro satis esse dicatur: messas spicas corbibus in aream deferre debent.

LI. Aream esse oportet in agro, sublimiori loco, quam perflare possit ventus. hanc esse modicam pro magnitudine segetis, potissimum rotundam, & mediam paulo extumidam, (ut, si pluerit, non consistat

aqua, & quam breviſſimo itinere extra aream defluere poſſit. omne porro breviſſimum in rotundo e medio ad extremum.) ſolida terra pavitam, maxime ſi eſt argilla, ne æſtu pæminoſa in rimis ejus grana obliteſcant, & recipiant aquam, & oſtia aperiant muribus ac formicis. Itaque amurca ſolent perfundere. ea enim herbarum [eſt inimica,] & formicarum, & talparum venenum. Quidam aream ut habeant ſolidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pavimentum. nonnulli etiam tegunt areas, ut in Bagiennis, quod ibi ſæpe id temporis anni oriuntur nimbi. ubi ea retecta, & loca calida, prope aream faciundum umbracula, quo ſuccedant homines in æſtu tempore meridiano.

LII. Quæ ſeges grandiſſima atque optima fuerit, ſeorſum in aream ſecerni oportet ſpicas, ut ſemen optimum habeat. E ſpicis in aream excuti grana. quod fit apud alios jumentis junctis, ac tribulo. id fit e tabula lapidibus, aut ferro aſperata, quo impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat e ſpica grana: aut ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant ploſtellum pœnicum. In eo quis ſedeat, atque agitet, quæ trahant, jumenta, ut in Hiſpania citeriore, & aliis locis faciunt. Apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis e ſpica exteruntur grana. iis tritis, oportet e terra ſubjactari vallis, aut ventilabris, cum ventus ſpirat lenis: ita fit, ut, quod leviſſimum eſt in eo, atque appellatur acus, evannatur foras extra aream, ac frumentum, quod eſt ponderoſum, purum veniat ad corbem.

LIII. Messe facta, spicilegium venire oportet, aut domi legere stipulam: aut si sunt spicæ raræ, & operæ caræ, compasci. Summa enim spectanda, ne in ea re sumtus fructum superet.

LIV. In vinetis uva cum erit matura, vindemiam ita fieri oportet, ut videas, a quo genere uvarum, & a quo loco vineti incipias legere. nam & præcox, & miscella, quam vocant nigram, multo ante coquitur; quo prior legenda: & quæ pars arbusti ac vineæ magis aprica, prius debet descendere de vite. In vindemiam diligentius uva non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum. Itaque lectius defertur in forum vinarium, unde in dolium inane veniat: electa in secretam corbulam, unde in ollulas addatur, & in dolia plena vinaceorum contrudatur. alia, quæ in piscinam in amphoram picatam descendat. alia, quæ in aream, ut in carnarium ascendat. Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut, si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cum desiit sub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus cum expressum, circumcisitum appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.

LV. De oliveto. oleam quam manu tangere possis e terra, ac scalis, legere oportet potius quam quatere, quod ea, quæ vapulavit, macescit, nec dat tantum olei. quæ manu stricta, melior ea, quæ di-

gitis nudis legitur, quam illa quæ cum digitalibus. durities enim eorum non solum stringit bacam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos. Qui manu tangi non poterunt, ita quati debent, ut arundine potius, quam pertica feriantur. gravior enim plaga medicum quærit. Qui quatiet, ne adversam cædat. sæpe enim ita percussa olea secum defert de ramulo plantam. quo facto, fructum amittunt posteri anni. ut hæc non minima causa, quod oliveta dicant alternis annis non ferre fructus, aut non æque magnos. Olea ut uva per idem bivium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia ut eliquescat, ac non solum corpus intus unguat, sed etiam extrinsecus : itaque dominum & balneas, & gymnasium sequitur. Hæc, de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulata, uti ibi mediocriter fracescat, ac primus quisque acervus demittatur per ferias, ac vasa olearia ad trapeta, in quæ eam terent molæ oleariæ duro & aspero lapide. Olea lecta si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, & oleum fœtidum fit. Itaque si nequeas mature conficere, in acervis jactando ventilare oportet. Ex olea fructus duplex: oleum, quod omnibus notum, & amurca, cujus utilitatem quod ignorant plerique, licet videre e torculis oleariis fluere in agros, ac non solum denigrare terram, sed multitudine facere sterilem: cum is humor modicus, cum ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer, quod circum arborum radices infundi solet, maxime ad oleam, & ubicunque in agro herba nocet.

LVI. Agrius, Jamdudum, inquit, in villa ſedens exſpecto cum clavi te, Stolo, dum fructus in villam referas. Ille, Em quin adſum. venio, inquit, ad limen, fores aperi. Primum fœniſiciæ conduntur melius ſub tecto, quam in acervis, quod ita fit jucundius pabulum. ex eo intelligitur, quod pecus utroque poſito libentius eſt.

LVII. At triticum condi oportet in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac ſeptemtrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis adſpiret. parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandi: ſi minus, ex argilla mixto acere e frumento, & amurca, quod murem & vermem non patitur eſſe, & grana facit ſolidiora, ac firmiora. quidam ipſum triticum conſpergunt, cum addant in circiter mille modium quadrantal amurcæ. Item alius aliud adfriat, aut aſpergit, ut Chalcidicam aut Caricam cretam, aut abſinthium. item hujus generis alia. Quidam granaria habent ſub terris, ſpeluncas, quas vocant σειροὺς, ut in Cappadocia, ac Thracia. alii, ut in Hiſpania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginienſi, & Oſcenſi. Horum ſolum paleis ſubſternunt: & curant, ne humor, aut aer tangere poſſit, niſi cum promitur ad uſum. quo enim ſpiritus non pervenit, ibi non oritur curculio. Sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta: milium vero plus annos centum. Supra terram granaria in agro quidam ſublimia faciunt, ut in Hiſpania citeriore, & in Apulia. Quidam quæ non ſolum a lateribus per feneſtras, ſed etiam ſubtus a ſolo ventus regelare poſſit.

LVIII. Faba, legumina in oleariis vasis oblita cinere perdiu incolumia servantur. Cato ait, uvam Aminneam minusculam, & majorem, & Apiciam in ollis commodissime condi. eadem in sapa, & musto recte. quas suspendas opportunissimas esse duracinas, & Aminneas, & Scantianas.

LIX. De pomis: conditiva mala struthea, cotonea, Scantiana, Quiriniana, orbiculata, & quæ antea mustea vocabant, nunc melimela appellant, hæc omnia in loco arido, & frigido supra paleas posita servari recte putant. Et ideo oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant, atque ut eæ perflentur, curant. neque tamen sine foriculis: ne, cum humorem amiserint pertinaci vento, vieta fiant. Ideoque in iis, camaras marmorato, & parietes, pavimentaque [laudabiliter] faciunt, quo frigidius sit: in quo etiam quidam triclinium sternere solent cœnandi causa. Etenim in quibus luxuria concesserit, ut in pinacothece faciant, quod spectaculum datur ab arte, cur non quod natura datum utantur in venustate disposita pomorum? præsertim quidem, cum id non sit faciendum, quod quidam fecerunt, ut Romæ coemta poma rus intulerint in oporothecen instruendam convivii causa. In oporothece mala manere putant satis commode: alii in tabulis, ut in opere marmorato, alii substrata palea, vel etiam floccis: mala Punica demissis suis surculis in dolio arenæ: mala cotonea, struthea in pensilibus junctis: contra in sapa condita manere pira Aniciana, & sementiva. sorba quidam dissecta, & in sole macerata, ut pira; & sorba per

ſe ubicunque ſint poſita in arido facile durare. Servare rapa conſecta in ſinape, nuces juglandes in arena, Punica mala & in arena jam decerpta, ac matura, ut dixi, & etiam immatura cum hærent in ſua virga, ſi demiſeris in ollam ſine fundo, eamque ſi conjeceris in terram, & obteris circum ramum, ſi extrinſecus ſpiritus afflet, ea non modo integra eximi, ſed etiam majora, quam in arbore unquam pependerint.

LX. De olivitate: oleas eſui optime condi ſcribit Cato, orchites, & pauſeas aridas, vel virides in muria, vel lentiſco contuſas. Orchites nigras, ſale ſi ſint confricatæ dies quinque, & tum ſale excuſſo, biduum ſi in ſole poſitæ fuerint, manere idoneas ſolere: eaſdem ſine ſale in defrutum condire.

LXI. Recte amuream periti agricolæ tam in doliis condunt, quam oleum, aut vinum. Ejus conditio, cum expreſſa effluxit, quod ſtatim de ea decoquuntur duæ partes, & refrigeratum conditur in vaſa. Sunt item aliæ conditiones, ut ea, in qua adjicitur muſtum.

LXII. Quod nemo fructus condit, niſi ut promat, de eo quoque vel ſexto gradu animadvertenda pauca. Promunt condita aut propterea, quod ſint tuenda, aut quod utenda, aut quod vendenda. Ea quæ diſſimilia ſunt inter ſe, aliud alio tempore tuendum, & utendum.

LXIII. Tuendi cauſa promendum id frumentum, quod curculiones exeſſe incipiunt. id enim cum promtum eſt, in ſole ponere oportet aquæ catinos,

quod eo conveniunt, ut ipsi se necent, curculiones. Sub terra qui habent frumentum in iis, quos vocant σειροὺς, quod cum periculo introitur recenti apertione, ita ut quibusdam sit interclusa anima, aliquanto post promere, quam aperueris, oportet. Far, quod in spicis condideris per messem, & ad usus cibatus expedire velis, promendum hieme, ut in pistrino pisetur, ac torreatur.

LXIV. Amurca cum ex olea expressa, qui est humor aquatilis, ac retrimentum conditum in vas fictile, id quidam sic solent tueri diebus XV, eo, quod est levissimum ac summum, deflatum ut trajiciant in alia vasa, & hoc idem intervallis, duodecies sex mensibus proximis, item faciant. Cum id novissime, potissimum trajiciant, cum senescit luna. tunc decoquunt in ahenis levi igni duas partes quoad regerunt, tum denique ad usum recte promitur.

LXV. Quod mustum conditur in dolium, ut habeamus vinum, non promendum dum fervet, neque etiam cum processit ita, ut sit vinum factum. Si vetus bibere velis. quod non fit ante, quam accesserit annus, tum, cum fuerit anniculum, prodit. Si vero est ex eo genere uvæ, quod mature coacescat, ante vindemiam consumi, aut venire oportet. Genera sunt vini, in quo Falerna, quæ quanto plures annos condita habuerunt, tanto, cum promta, sunt fructuosiora.

LXVI. Oleas albas, quas condideris novas, si celeriter promas, nisi condideris, propter amaritudinem illas respuit palatum. Item nigras, nisi

prius eas ſale maceraris, ut libenter in os recipiantur.

LXVII. Nucem juglandem, & palmulam, & ficum Sabinam quanto citius promas, jucundiore utare, quod vetuſtate ficus fit pallidior, palmula carioſior, nux aridior.

LXVIII. Penſilia, ut uvæ, mala, & ſorba, ipſa oſtendunt, quando ad uſum oporteat promi: quod colore mutato & contractu acinorum, ſi non demſeris ad edendum, ad abjiciendum deſcenſurum ſe minitantur. Sorbum maturum mite conditum citius promi oportet: acerbum enim ſuſpenſum lentius eſt. quod prius domi maturitatem aſſequi vult, quam nequit in arbore, quam miteſcat.

LXIX. Meſſum far promendum hieme in piſtrino ad torrendum, quod ad cibatum expeditum eſſe velis. Quod ad ſationem, tum promendum, cum ſegetes maturæ ſunt ad accipiendum. Item quæ pertinent ad ſationem, ſuo quoque tempore promenda. Quæ vendenda, videndum, quæ quoque tempore oporteat promi. alia enim, quæ manere non poſſunt, antequam ſe commutent, ut celeriter promas, ac vendas: alia, quæ ſervari poſſunt, ut tum vendas, cum caritas eſt. ſæpe enim diutius ſervata non modo uſuram adjiciunt; ſed etiam fructum duplicant, ſi tempore promas. Cum hæc diceret STOLO, venit libertus æditumi ad nos flens, & rogat, ut ignoſcamus quod ſimus retenti, & ut ei in funus poſtridie prodeamus. Omnes conſurgimus, ac ſimul exclamamus, Quid? in funus? quod funus? quid eſt factum? Ille flens narrat, ab neſcio quo

percuſſum cultello concidiſſe, quem qui eſſet, animadvertere in turba non potuiſſe, ſed tantummodo exaudiſſe vocem, perperam feciſſe. Ipſe, cum patronum domum ſuſtuliſſet, & pueros dimiſiſſet, ut medicum requirerent, ac mature adducerent; quod potius illud adminiſtraſſet, quam ad nos veniſſet, æquum eſſe ſibi ignoſci. Nec ſi eum ſervaré non potuiſſet, quin non multo poſt animam efflaret, tamen putare ſe feciſſe recte. Non moleſte ferentes deſcendimus de æde, & de caſu humano magis querentes, quam admirantes id Romæ factum, diſcedimus omnes.

M. TERENTII VARRONIS
RERUM RUSTICARUM
DE RE PECUARIA
LIBER SECUNDUS.

VIRI magni nostri majores non sine causa praeponebant rusticos Romanos urbanis. ut ruri enim, qui in villa vivunt ignaviores, quam qui in agro versantur in aliquo opere faciundo : sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiosiores putabant. Itaque annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis VII ut rura colerent. Quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut & cultura agros foecundissimos haberent, & ipsi valetudine firmiores essent: ac ne Graecorum urbana desiderarent gymnasia, quae nunc vix satis singula sunt: nec putant, se habere villam, si non multis vocabulis retineant Graecis, cum vocent particulatim loca, προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον, ὀρνιθῶνα, περιστερεῶνα, ὀπωροθήκην. Igitur quod nunc intra murum fere patres familiae correpserunt relictis falce & aratro, & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum lo-

camus, qui nobis advehat, qui saturi fiamus ex Africa, & Sardinia: & navibus vindemiam condimus ex insula Coa & Chia. Itaque in qua terra culturam agri docuerunt pastores progeniem suam, qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum, propter avaritiam, contra leges, ex segetibus fecit prata, ignorantes non idem esse agriculturam, & pastionem. alius enim opilio, & arator: nec si possit in agro pasci, armentarius non aliud ac bubulcus. Armentum enim id, quod in agro natum non creat, sed tollit dentibus. contra, bos domitus causa fit, ut commodius nascatur frumentum in segete, & pabulum in novali. Alia, *inquam*, ratio ac scientia coloni, alia pastoris. coloni, ut ea, quæ in agricultura nascantur e terra, fructum faciant. contra pastoris, ut ea, quæ nata ex pecore. quarum quoniam societas inter se magna, propterea quod pabulum in fundo compascere, quam vendere plerumque magis expedit domino fundi; & stercoratio ad fructus terrestres aptissima, & maxime ad id pecus appositum: qui habet prædium, habere utramque debet disciplinam, & agriculturæ, & pecoris pascendi, & etiam villaticæ pastionis. Ex ea enim quoque fructus tolli possunt non mediocres, ex ornithonibus, ac leporariis, & piscinis. E queis quoniam de agricultura librum Fundaniæ uxori propter ejus fundum feci: tibi, Niger Turrani noster, qui vehementer delectaris pecore, propterea quod te emturientem in campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes, quo facilius sumtibus multa poscentibus ministres, quod eo facilius faciam,

quod & ipſe pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, & in Reatino equarias: [Qua] de re pecuaria breviter ac ſummatim percurram, & ſermonibus noſtris collatis cum iis, qui pecuarias habuerunt in Epeiro magnas, tum cum piratico bello inter Delum & Siciliam Græciæ claſſibus præeſſem, incipiam hinc.

I. Cum Menates diſceſſiſſet, COSSINIUS mihi, Nos te non dimittemus, inquit, antequam tria illa explicaris, quæ cœperas nuper dicere, cum ſumus interpellati. Quæ tria, inquit MURRIUS? An ea, quæ mihi heri dixiſti de paſtoricia re? Iſta, *inquit ille*, quæ cœperat hic diſſerere, quæ eſſet origo, quæ dignitas, quæ ars; cum Petam feſſum viſere veniſſemus, ni medici adventus nos interrupiſſet. Ego vero, *inquam*, dicam dumtaxat, quod eſt ἱστορικὸν, de duabus rebus primis, quæ accepi, de origine & dignitate. de tertia parte, ubi eſt de arte, Scrofa ſuſcipiet: ut ſemigræcis paſtoribus dicam Græce, ——— ὅσπέρ μου πολλὸν ἀμείνων. Nam is magiſter C. Lucilii Hipri generi tui, cujus nobiles pecuariæ in Brutiis habentur. Sed hæc ita a nobis accipietis, inquit SCROFA, ut vos, quis eſtis Epirotici, pecuarii athletæ, remuneremini nos, ac quæ ſcitis, proferatis in medium. Nemo enim omnia poteſt ſcire. Cum accepiſſem conditionem, ut meæ partes eſſent primæ, (non quo non ego pecuarias in Italia habeam, ſed non omnes, qui habent citharam, ſunt citharœdi.) Igitur, *inquam*, & homines & pecua cum ſemper fuiſſe ſit neceſſe natura, (ſive enim aliquod fuit principium generandi animalium,

iit putavit Thales Milesius, & Zéno Cittieus: sive contra principium horum exstitit nullum, ut credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagerites) necesse est humanæ vitæ a summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem, ut scribit Dicæarchus: & summum gradum fuisse naturalem, cum viverent homines ex iis rebus, quæ inviolata ultro ferret terra: ex hac vita in secundam descendisse pastoriciam, e feris atque agrestibus, ut ex arboribus ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad usum; sic ex animalibus, cum propter eandem utilitatem, quæ possent, silvestria deprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent. In queis primum non sine causa putant oves assumtas, & propter utilitatem, & propter placiditatem. maxime enim hæ natura quietæ; & aptissimæ ad vitam hominum. ad cibum enim lacte & caseum adhibitum, ad corpus vestitum & pelles attulerunt. Tertio denique gradu a vita pastorali ad agriculturam descenderunt. in qua ex duobus gradibus superioribus retinuerunt multa. & quo descenderant, ibi processerunt longe, dum ad nos perveniret. Etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, ut in Phrygia ex ovibus, ubi greges videntur complures; ut in Samothrace caprarum, quas Latine rotas appellant. sunt enim in Italia, circum Fiscellum & Tetricam montes, multæ. De suibus nemini ignotum, nisi qui apros non putat sues vocari. Boves perferi etiam nunc sunt multi in Dardania, & Media, & Thracia. Asini feri in Phrygia, & Lycaonia. Equi feri in Hispaniæ ci-

terioris regionibus aliquot. Origo, quam dixi: dignitas, quam dicam. De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Græca & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxe queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras & oves, [quas] Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim sua voce Græci appellarunt μῆλα. Nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia litera. vox earum non me, sed bee sonare videtur. oves beelare vocem efferentes: a quo belare dicunt, extrita litera, ut in multis. Quod si apud antiquos non magnæ dignitatis pecus esset, in cœlo describendo astrologi non appellassent eorum vocabulis signa, quæ non modo non dubitarunt ponere, sed etiam ab his principibus XII signa multi numerant: ut ab ariete & tauro, cum ea præponerent Apollini & Herculi. ii enim Dii ea sequuntur, sed appellantur Gemini. Nec satis putarunt de XII signis sextam partem obtinere pecudum nomina, nisi adjecissent, ut quartam tenerent, capricornum. Præterea a pecuariis addiderunt capram, hædos, canes. An non etiam item in mari terraque ab his regionum notæ? [a pecore] in mari, quod nominaverunt a capris Ægeum pelagus: ad Syriam montem Taurum: in Sabinis Canterium montem:

Bosphorum unum Thracium, alterum Cimmerium. Nonne in terris multa, ut oppidum in Græcia Ἵππιον ἄργος? Denique Italia a vitulis, ut ſcribit Piſo. Romanorum vero populum a paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutricium, qui Romulum & Remum educavit? non ipſos quoque fuiſſe paſtores obtinebit, quod parilibus potiſſimum condidere urbem? non idem, quod multa etiam nunc ex vetere inſtituto bubus & ovibus dicitur? & quod æs antiquiſſimum, quod eſt flatum, pecore eſt notatum? Et quod urbs cum condita eſt, tauro, & vacca, qui eſſent muri & portæ definitum? Et quod populus Rom. cum luſtratur, ſuovitaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus? Et quod nomina multa habemus ab utroque pecore: a majore, & a minore? A minore, Porcius, Ovinius, Caprilius: ſic a majore Equitius, Taurus cognomina aſſignificari, quod dicuntur ut Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: ſic a pecudibus alii multi. Reliquum eſt de ſcientia paſtorali, de qua eſt dicendum. quod, Scrofa noſter, cui hæc ætas defert rerum ruſticarum omnium palmam, quo melius potes, dice. Cum convertiſſent in eum ora omnes; SCROFA, Igitur, inquit, eſt ſcientia pecoris parandi, ac paſcendi, ut fructus quam poſſint maximi capiantur ex ea, a quibus ipſa pecunia nominata eſt. nam omnis pecuniæ pecus fundamentum. Ea partes habet novem diſcretas, ter ternas: ut ſit una de minoribus pecudibus: cujus genera tria, ovis, capra, ſus. altera de pecore majore, in quo ſunt item ad tres ſpecies

natura discreti, boves, asini, equi. tertia pars est in pecuaria, quæ non paratur, ut ex iis capiatur fructus, sed propter eam, aut ex ea sint, muli, canes, pastores. Harum unaquæque in se generales partes habet novenas, quarum in pecore parando necessariæ quatuor; alteræ in pascendo totidem; præterea communis una. Ita fiunt omnes partes minimum octoginta & una, & quidem necessariæ, nec parvæ. Primum ut bonum pares pecus, unum scire oportet, qua ætate quamque pecudem parare, habereque expediat. Itaque in bubulo pecore minoris emitis anniculam & supra decem annorum, quod a bima, aut trima fructum ferre incipit, neque longius post decimum annum procedit. Nam prima ætas omnis pecoris, & extrema, sterilis. E quatuor altera pars est cognitio formæ uniuscujusque pecudis, qualis sit. Magni enim interest, cujusmodi quæque sit, ad fructum. Ita potius bovem emunt cornibus nigrantibus, quam albis: capram amplam, quam parvam: sues procero corpore, capitibus ut sint parvis. Tertia pars est, quo sint seminio quærendum. Hoc nomine enim asini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini, usque eo, ut mea memoria asinus venierit sextertiis millibus LX, & unæ quadrigæ Romæ constiterint quadringentis millibus. Quarta pars est [de jure in parando:] quemadmodum quamque pecudem emi oporteat civili jure. Quod enim alterius fuit, id ut fiat meum, necesse est aliquid intercedere. Neque in omnibus satis est stipulatio, aut solutio numorum ad mutationem domini. In emtione alias stipulan-

dum ſtatim, eſſe e valetudinario, alias e ſano pecore, alias e neutro. Alteræ partes quatuor ſunt, cum jam emeris, obſervandæ, de paſtione, de fœtura, de nutricatu, de ſanitate. Paſcendi primus locus qui eſt, ejus ratio triplex. In qua regione quamque potiſſimum paſcas, & quando, & queis? ut capras in montoſis potius locis & fruticibus, quam in herbidis campis; equas contra. neque eadem loca, æſtiva & hiberna, idonea omnibus ad paſcendum. Itaque greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æſtivatum, atque ad publicanum profitentur, ne, ſi inſcriptum pecus paverint, lege cenſoria committant. Muli e Roſea campeſtri æſtate exiguntur in Gurgures altos montes. Qui potiſſimum quæque pecudum paſcatur, habenda ratio. nec ſolum, quod fœno fit ſatura equa, aut bos, cum ſues hoc vitent, & quærant glandem: ſed quod ordeum & faba interdum ſit quibuſdam objiciendum, & dandum bubus lupinum, & lactariis Medica, & cytiſum. præterea quod ante admiſſuram diebus XXX arietibus ac tauris datur plus cibi, ut vires habeant: feminis bubus demitur, quod maceſcentes melius concipere dicuntur. Secunda pars eſt de fœtura. Nunc appello fœturam a conceptu ad partum: hi enim prægnationis primi & extremi fines. quare primum videndum de admiſſione, quo quæque tempore, ut ineant, facere oporteat. nam, ut ſuillo pecori a favonio ad æquinoctium vernum putant aptum, ſic ovillo ab arcturi occaſu, uſque ad aquilæ occaſum. Præterea habenda ratio, quanto antequam incipiat admiſſura fieri, mares a feminis ſe-

cretos habeant: quod fere in omnibus binis mensibus ante faciunt & armentarii, & opiliones. Altera pars est in fœtura, quæ sint observanda, quod alia alio tempore parere solet. equa enim ventrem fert XII menses, vacca decem, ovis & capra quinos, sus quatuor. In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam e vento concipiunt certo tempore equæ, ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova ὑπηνέμια appellant. Sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. Quæ nata sunt matura, & chorda, ut pure & molliter stent, videndum, & ne obterantur. Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in volvis intimis. vocant χορίον, a quo chordi appellati. Tertia res est, de nutricatu quid observari oporteat, in quo, quot diebus matris sugant mammam, & id quo tempore, & ubi: & si parum habet lactis mater, ut subjiciat sub alterius mammam, qui appellantur subrumi, id est sub mamma. antiquo enim vocabulo mamma rumis, ut opinor. Fere ad quatuor menses a mamma non dijunguntur agni, hœdi tres, porci duo. e queis, quoniam puri sunt ad sacrificium, ut immolentur, olim appellati sacres, quos appellat Plautus, cum ait, Quanti sunt porci sacres? sic boves altiles, ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi. Qarta pars est de sanitate: res multiplex, ac necessaria; quod morbosum pecus, & vitiosum, & quando non valet, sæpe magna gregem afficit calamitate. Cujus scientiæ ge-

nera duo : unum ut in hominem, ad quem adhibendi medici; alterum, quo ipse etiam paſtor diligens mederi poſſit. Ejus partes ſunt tres. nam animadvertendum, quæ cujuſque morbi ſint cauſæ, quæque ſigna earum cauſarum ſint, & quæ quemque morbum ratio curandi ſequi debeat. Fere morborum cauſæ erunt, quod laborant propter æſtus, aut propter frigora, nec non etiam propter nimium laborem, aut contra, propter nullam exercitationem, aut ſi, cum exercueris, ſtatim ſine intervallo cibum aut potionem dederis. Signa autem ſunt, ut eorum, qui ſive ex æſtu, ſive e labore febrem habent, adapertum os, humido ſpiritu crebro, & corpore calido. Curatio autem, cum hic eſt morbus, hæc. perfunditur aqua, & perunguitur oleo & vino tepefacto, & item cibo ſuſtinetur, & injicitur aliquid, ne frigus cædat, ſitienti aqua tepida datur. Si hoc genus rebus non proficitur, dimittitur ſanguis, maxime e capite. Item ad alios morbos aliæ cauſæ; etiam alia ſigna in omni pecore, quæ ſcripta habere oportet magiſtrum pecoris. Relinquitur nonum, quod dixi, de numero, utriuſque partis commune. Nam & qui parat pecus, neceſſe eſt conſtituat numerum, quot greges, & quanto ſit paſturus, ne aut ſaltus deſint, aut ſuperſint, & ideo fructus diſpereant. Præterea ſcire oportet, in grege quot feminas habeat, quæ parere poſſunt, quot arietes, quot utriuſque generis ſoboles, quot rejiculæ ſint alienandæ. In alimoniis, ſi ſunt plures nati, ut quidam faciunt, ſequendum, ut quoſdam ſubducas, quæ res facere ſolet, ut reliqui melius creſcant. Vi-

de, inquit ATTICUS, ne te fallat, & novenæ istæ partes non exeant extra pecoris minoris ac majoris nomen. Quo pacto enim erunt in mulis & pastoribus novenæ partes, ubi nec admissuræ, nec fœturæ observantur? In canibus enim video posse dici. Sed do etiam in hominibus posse novenarium retineri numerum, quod in hibernis habent in villis mulieres, quidam etiam in æstivis, & id pertinere putant, quo facilius ad greges pastores retineant, & puerperio familiam faciant majorem, & rem pecuariam fructuosiorem. Si, *inquam*, numerus non est, ut sit ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse judicium Romæ: deme (si vis) duas res de mulis, admissuram & parturam. VACCIUS, Parturam, inquit? proinde ut non aliquoties dicatur Romæ peperisse mulam. Cui *ego* ut succinerem, subjicio, Magonem & Dionysium scribere, mulam, & equam, cum conceperint, duodecimo mense parere. Quare non, si hic in Italia cum peperit mula sit portentum, assentiri omnes terras. Neque enim hirundines & ciconiæ, quæ in Italia pariunt, in omnibus terris pariunt. Non scitis palmulas, caryotas in Syria parere in Judæa, in Italia non posse? Sed SCROFA, Si exigere mavis sine mularum fœtura & nutricatu numerum octoginta & unum, est qui expleas duplicem istam lacunam: quod extraordinariæ fructuum species duæ accedunt magnæ. quarum una est tonsura, quod oves ac capras detondent, aut vellunt: altera, quæ latius patet, est de lacte, & caseo, quam scriptores Græci separatim τυροποιΐαν

appellaverunt, ac ſcripſerunt de ea re permulta.

II. Sed quoniam nos noſtrum penſum abſolvimus, ac limitata eſt pecuaria quæſtio: nunc rurſus vos reddite nobis, o Epeirotæ, de unaquaque re, ut videamus, quid paſtores a Pergamide, Maledove potis ſint. ATTICUS, qui tunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius cognomine eodem, Ego opinor, inquit, incipiam primus, quoniam in me videre conjeciſſe oculos: & dicam de primigenia pecuaria. E feris enim pecudibus primum dicis oves comprehenſas ab hominibus, ac manſuefactas. has primum oportet bonas emere. Quæ ita ab ætate, ſi neque vetulæ ſunt, neque meræ agnæ: quod alteræ jam nondum, alteræ jam non poſſunt dare fructum. ſed ea melior ætas, quam ſequitur ſpes, quam ea, quam mors. De forma, ovem eſſe oportet corpore amplo, quæ lana multa ſit & molli, villis altis & denſis toto corpore, maxime circum cervicem & collum, ventrem quoque ut habeat piloſum. itaque quæ id non haberent, majores noſtri apicas appellabant, ac rejiciebant. eſſe oportet cruribus humilibus, caudis obſervare, ut ſint in Italia prolixis, in Syria brevibus. In primis videndum, ut boni ſeminis pecus habeas. id fere ex duabus rebus poteſt animadverti, ex forma, & progenie. Ex forma, ſi arietes ſint fronte lana veſtiti bene, tortis cornibus pronis ad roſtrum, ravis oculis, lana opertis auribus, amplis pectore & ſcapulis, & clunibus latis, cauda lata & longa. animadvertendum quoque, linguane nigra aut varia ſit, quod fere qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos.

Ex progenie autem animadvertitur, si agnos procreant formosos. In emtionibus jure utimur eo, quod lex præscripsit. in ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt. Quidam enim pretio facto in singulas oves, ut agni chordi duo pro una ove annumerentur, & si cui vetustate dentes absunt, item binæ pro singulis ut procedant. de reliquo antiqua fere formula utuntur. cum emtor dixit, Tanti sunt mi emtæ? & ille respondit, Sunt, & expromisit numos: emtor stipulatur prisca formula sic, Illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro, neque de pecore morboso esse, habereque recte licere, hæc sic recte fieri spondesne? Cum id factum est, tamen grex dominum non mutavit, nisi si est adnumeratum. Nec non emtor pote ex emto vendito illum damnare, si non tradet, quamvis non solverit numos: ut ille emtorem simili judicio, si non reddit pretium. De alteris quatuor rebus deinceps dicam, de pastione, fœtura, nutricatu, sanitate. Primum providendum, ut totum annum recte pascantur intus & foris. stabula idoneo loco ut sint: ne ventosa: quæ spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus. ubi stent, solum oportet esse eruderatum & proclivum, ut everri facile possit, ac fieri purum. non enim solum ea uligo lanam corrumpit ovium, sed etiam ungulas, ac scabras fieri cogit. Cum aliquot dies steterunt, subjicere oportet virgulta alia, quo mollius requiescant, purioresque sint. libentius enim ita pascuntur. Fa-

ciendum quoque ſæpta ſecreta ab aliis, quo incientes ſecludere poſſis, item quo corpore ægro. hæc magis ad villaticos greges animadvertenda. Contra illæ, in ſaltibus quæ paſcuntur, & a tectis abſunt longe, portant ſecum crates, aut retia, quibus cohortes in ſolitudine faciant, ceteraque utenſilia. longe enim & late in diverſis locis paſci ſolent, ut multa millia abſint ſæpe hibernæ paſtiones ab æſtivis. Ego vero ſcio, *inquam*. nam mihi greges in Apulia hibernabant, qui in Reatinis montibus æſtivabant. Cum inter hæc bina loca, ut jugum continet ſirpiculos, ſic calles publicæ diſtantes paſtiones; eaſque ibi, ubi paſcuntur in eadem regione, tamen temporibus diſtingunt, ut æſtate quod cum prima luce exeunt paſtum, propterea quod tunc herba roſcida meridianam, quæ eſt aridior, jucunditate præſtat: ſole exorto puto propellunt, ut redintegrantes rurſus ad paſtum alacriores faciant. Circiter meridianos æſtus, dum deferveſcant, ſub umbriferas rupes, & arbores patulas ſubjiciunt, quoad refrigerato aere veſpertino, rurſus paſcant ad ſolis occaſum. ita paſcere pecus oportet, ut adverſo ſole agat. caput enim maxime ovis molle eſt. Ab occaſu parvo intervallo interpoſito ad bibendum appellunt, & rurſus paſcunt, quoad contenebravit. iterum enim tum jucunditas in herba redintegravit. Hæc ab Vergiliarum exortu ad æquinoctium auctumnale maxime obſervant. Quibus in locis meſſes ſunt factæ, inigere eſt utile duplici de cauſa, quod & caduca ſpica ſaturantur, & obtritis ſtramentis, & ſtercoratione faciunt in annum ſege-

tes meliores. Reliquæ paſtiones hiberno ac verno tempore hoc mutant, quod pruina jam exhalata, propellunt in pabulum, & paſcunt diem totum, ac meridiano tempore ſemel agere potum ſatis habent. Quod ad paſtiones attinet, hæc fere ſunt: quod ad fœturam, quæ dicam. Arietes, quibus ſis uſurus ad fœturam, bimeſtri tempore ante ſecernendum, & largius pabulo explendum. Cum redierunt ad ſtabula e paſtu, ordeum ſi eſt datum, firmiores fiunt ad laborem ſuſtinendum. Tempus optimum ad admittendum, ab arcturi occaſu ad aquilæ occaſum, quod quæ poſtea concipiunt, fiunt vegrandes, atque imbecillæ. Ovis prægnans eſt diebus CL. itaque fit partus exitu auctumnali, cum aer eſt modice temperatus, & primitus oritur herba imbribus primoribus evocata. Quamdiu admiſſura ſit, eadem aqua uti oportet, quod commutatio & lanam facit variam, & corrumpit uterum. Cum omnes conceperunt, rurſus arietes ſecernendi: ita factis prægnantibus quod ſunt moleſti, [obſunt]. Neque pati oportet minores, quam bimas ſaliri, quod neque natum ex his idoneum eſt, neque non ipſæ fiunt etiam deteriores: & non meliores, quam trimæ admiſſæ. deterrent ab ſaliendo fiſcellis e junco, aliave qua re, quod alligant ad naturam. Commodius ſervantur, ſi ſecretas paſcunt. In nutricatu cum parere cœperunt, inigunt in ſtabula ea, quæ habent ad eam rem ſeclusa, ibique nata recentia ad ignem prope ponunt, quoad convaluerunt, biduum aut triduum retinent; dum agnoſcant matrem agni, & pabulo ſe ſaturent. deinde dum matres cum grege

paſtum prodeunt, retinent agnos, ad quos cum reductæ ad veſperum, aluntur lacte, & rurſus diſcernuntur, ne noctu a matribus conculcentur. Hoc item faciunt mane ante quam matres in pabulum exeant, ut agni ſatulli fiant lacte. Circiter decem dies cum præterierunt, palos offigunt, & ad eos alligant libro, aut qua alia re levi diſtantes, ne toto die curſantes inter ſe teneri, delibent aliquid membrorum. Si ad matris mammam non accedet, admovere oportet, & labra agni unguere butyro aut adipe ſuilla, & olfacere labra lacte. Diebus poſt paucis objicere his viciam molitam, aut herbam teneram, antequam exeunt paſtum, & cum reverterunt. Et ſic nutricantur, quoad facti ſunt quadrimeſtres. interea matres eorum his temporibus non mulgent quidam, qui ut melius, omnino perpetuo, quod & lanæ plus ferunt, & agnos plures. Cum depulſi ſunt agni a matribus, diligentia adhibenda eſt, ne deſiderio ſeneſcant. itaque deliniendum in nutricatu pabuli bonitate: & a frigore & æſtu ne quid laborent, curandum. Cum oblivione jam lactis non deſiderant matrem, tum denique compellendum in gregem ovium. Caſtrare oportet agnum non minorem quinque menſium, neque antequam calores aut frigora ſe fregerunt. Quos arietes ſubmittere volunt, potiſſimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere ſolent. Pleraque ſimiliter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut ſunt Tarentinæ & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte poſſit, vel lavari, ac parari. Harum præſepia

ac ſtabula ut ſint pura, majorem adhibeant diligentiam, quam hirtis. itaque faciunt lapide ſtrata, ut urina necubi in ſtabulo conſiſtat. His quæcunque jubentur, veſcuntur, ut folia ficulnea, & palea, & vinaceæ. furfures objiciuntur modice, ne parum, aut nimium ſaturentur. utrumque enim ad corpus alendum inimicum. at maxime amicum cytiſum & Medica. nam & pingues facit facillime, & genit lac. De ſanitate ſunt multa, ſed ea (ut dixi) in libro ſcripta magiſter pecoris habet: & quæ opus ad medendum, portat ſecum. Relinquitur de numero, quem faciunt alii majorem, alii minorem. nulli enim hujus moduli naturales. illud fere omnes in Epeiro facimus, ne minus habeamus in centenas oves hirtas ſingulos homines: in pellitas binos.

III. Cui COSSINIUS, Quoniam ſatis balaſti, inquit, o Fauſtule noſter, accipe a me cum Homerico Melanthio chordo de capellis, & quemadmodum oporteat breviter dicere, diſce. Qui caprinum gregem conſtituere vult, in eligendo animadvertat oportet, primum ætatem, ut eam paret, quæ jam ferre poſſit fructum, & de iis eam potius, quæ diutius: novella enim, quam vetus, utilior. De forma videndum, ut ſint firmæ, magnæ, corpus lene ut habeant, crebro pilo, niſi ſi glabræ ſunt. duo enim genera earum. ſub roſtra duas ut mammulas penſiles habeant: quod eæ fœcundiores ſunt. ubere ſint grandiore, ut & lac multum, & pingue habeant pro portione. Hircus molliori & potiſſimum pilo albo, ac cervice & collo breve, gurgulione longiore. Melior fit grex, ſi non eſt ex collectis com-

paratus, ſed ex conſuetis una. De ſeminio dico eadem, quæ Atticus in ovibus. hoc aliter, ovium ſemen tardius eſſe, quo hæ ſint placidiores; contra caprile mobilius eſſe, de quarum velocitate in Originum libro Cato ſcribit hæc: In Sauracti, Fiſcello capræ feræ ſunt, quæ ſaliunt e ſaxo pedes plus ſexagenos. Oves enim, quas paſcimus, ortæ ſunt ab ovibus feris: ſic capræ, quas alimus, a capris feris ſunt ortæ, a queis propter Italiam Capraſia inſula eſt nominata. De capris quod meliore ſemine eæ, quæ bis pariant, ex his potiſſimum mares ſolent ſubmitti ad admiſſuras. quidam etiam dant operam, ut ex inſula Media capras habeant, quod ibi maximi ac pulcherrimi exiſtimantur fieri hœdi. De emtione aliter dico atque fit, quod capras ſanas ſanus nemo promittit. nunquam enim ſine febri ſunt. Itaque ſtipulantur paucis exceptis verbis: ac Mamilius ſcriptum reliquit ſic, Illas capras hodie recte eſſe, & bibere poſſe, habereque recte licere, hæc ſpondeſne? De quibus admirandum illud, quod etiam Archelaus ſcribit, non ut reliqua animalia naribus, ſed auribus ſpiritum ducere ſolere, paſtores curioſiores aliquot dicunt. De alteris quatuor, quod eſt de paſtu hoc dico. ſtabulatur pecus melius ad hibernos exortus ſi ſpectat, quod eſt alſioſum. Id ut pleraque lapide, aut teſta ſubſterni oportet, caprile quo minus ſit uliginoſum ac lutulentum. Foris cum eſt pernoctandum, item in eandem partem cœli quæ ſpectent, ſæpta oportet ſubſterni virgultis, ne oblinantur. nec multo aliter tuendum hoc pecus in paſtu, atque ovillum, quod tamen habet ſua propria

quædam, quod potius ſilveſtribus ſaltibus delectantur, quam pratis. Studioſe enim de agreſtibus fruticibus paſcuntur, atque in locis cultis, virgulta carpunt: itaque a carpendo capræ nominatæ. ob hoc in lege locationis fundi excipi ſolet, ne colonus capra natum in fundo paſcat. Harum enim dentes inimici ſationis, quas etiam aſtrologi ita receperunt in cœlum, ut extra limbum XII ſignorum excluſerint. [Sunt duo hœdi, & capra non longe a tauro.] Quod ad fœturam pertinet, deſiſtente auctumno exigunt a grege in campos, hircos in caprilia, item ut in arietibus dictum. Quæ concepit, poſt quartum menſem reddit tempore verno. In nutricatu hœdi, trimeſtres cum ſint facti, tum ſubmittuntur, & in grege incipiunt eſſe. Quid dicam de earum ſanitate, quæ nunquam ſunt ſanæ? niſi tamen illud unum, quædam ſcripta habere magiſtros pecoris, quibus remediis utantur ad morbos quoſdam earum, ac vulneratum corpus, quod uſu venit iis ſæpe, quod inter ſe cornibus pugnant, atque in ſpinoſis locis paſcuntur. Relinquitur de numero, qui in gregibus eſt minor caprino, quam in ovillo, quod capræ laſcivæ, & quæ diſpergant ſe. contra oves, quæ ſe congregent, ac condenſent in locum unum. Itaque in agro Gallico greges plures potius faciunt, quam magnos, quod in magnis cito exſiſtat peſtilentia, quæ ad perniciem eum perducat. Satis magnum gregem putant eſſe circiter quinquagenas. quibus aſſentiri putant id, quod uſu venit Gaberio equiti R. Is enim, cum in ſuburbano mille jugerum haberet, & a caprario quodam, qui addu-

xit capellas ad urbem x, ſibi in dies ſingulos denarios ſingulos dare, audiſſet, coegit mille caprarum, ſperans ſe capturum de prædio in dies ſingulos denarium mille. Tantum enim fefellerit, ut brevi omnes amiſerit morbo. Contra in Sallentinis & in Caſinati ad centenas paſcunt. De maribus & feminis idem fere diſcrimen, ut alii ad denas capras ſingulos parent hircos, ut ego: alii etiam ad xv, ut Menas: nonnulli etiam, ut Murrius, ad viginti.

IV. Sed quis e portu poſt Italico prodit, ac de ſuillo pecore expedit? tametſi Scrofam potiſſimum de ea re dicere oportere, cognomen ejus ſignificat. Cui TREMELLIUS, Ignorare, inquit, videre, cur appeller Scrofa. Itaque ut etiam hi propter te ſciant, cognoſce meam gentem ſuillum cognomen non habere, nec me eſſe ab Eumæo ortum. Avus meus primum appellatus eſt Scrofa, qui quæſtor cum eſſet Licinio Nervæ prætori in Macedonia provincia relictus, qui præeſſet exercitui, dum prætor rediret, hoſtes, arbitrati occaſionem ſe habere victoriæ, impreſſionem facere cœperunt in caſtra. Avus, cum cohortaretur milites, ut caperent arma, atque exirent contra, dixit, celeriter ſe illos (ut Scrofa porcos) disjecturum. id quod fecit. nam eo prœlio hoſtes ita fudit ac fugavit, ut eo Nerva prætor Imperator ſit appellatus, avus cognomen invenerit, ut diceretur Scrofa. Itaque proavus ac ſuperiores de Tremelliis nemo appellatus Scrofa; nec minus ſeptimus ſum deinceps prætorius in gente noſtra. Nec tamen defugio, quin dicam, quæ ſcio de ſuillo pecore. Agri enim culturæ ab initio fui ſtu-

diosus: nec de pecore suillo mihi & vobis, magnis pecuariis, ea res non est communis. Quis enim fundum colit nostrum, quin sues habeat, & qui non audierit patres nostros dicere, ignavum & sumtuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo? Ergo qui suum gregem vult habere idoneum, eligere oportet primum bona ætate, secundo bona forma. Ea est, cum amplitudine membrorum, præterquam pedibus, capite, unicoloris potius quam varias. Cum hæc eadem ut habeant verres videndum, tum utique sint cervicibus amplis. Boni seminis sues animadvertuntur a facie, & progenie, & regione cœli. A facie, si formosi sint verres, & scrofa. a progenie, si porcos multos pariunt. a regione, si potius ex his locis, ubi nascuntur, amplas quam exilis pararis. Emi solent sic: Illasce sues sanas esse, habereque recte licere, noxisque præstare, neque de pecore morboso esse, spondesne? Quidam adjiciunt, perfunctas esse a febri, & a foria. In pastu locus huic pecori aptus uliginosus, quod delectatur non solum aqua, sed etiam luto. itaque ob eam rem ajunt lupos cum sint nacti sues, trahere usque ad aquam, quod dentes fervorem carnis ferre nequeant. Hoc pecus alitur maxime glande, deinde faba, & ordeo, & cetero frumento. quæ res non modo pinguitudinem efficiunt, sed etiam carnis jucundum saporem. Pastum exigunt æstate mane, & antequam æstus incipiat, subigunt in umbrosum locum, maxime ubi aqua sit. post meridiem rursus lenito fervore pascunt. hiberno tempore non prius

exigunt paſtum, quam pruina evanuit, ac colliquefacta eſt glacies. Ad fœturam verres duobus menſibus ante ſecernendi. Optimum ad admiſſuram tempus a favonio ad æquinoctium vernum: ita enim contingit, ut æſtate pariat. quatuor enim menſes eſt prægnans. & tunc parit, cum pabulo abundat terra. Neque minores admittendæ, quam anniculæ. melius XX menſes exſpectare, ut bimæ pariant. Cum cœperunt, id facere dicuntur uſque ad ſeptimum annum recte. Admiſſuras cum faciunt, prodigunt in lutoſos limites ac luſtra, ut volutentur in luto, quæ eſt illorum requies, ut lavatio hominis. Cum omnes conceperunt, rurſus ſegregant verres. Verris octo menſium incipit ſalire: permanet, ut id recte facere poſſit, ad primum. deinde it retro, quoad perveniat ad lanium. Hic enim conciliator ſuillæ carnis datus populo. Sus Græce dicitur ὗς, olim thyſus dictus, ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod eſt immolare. Ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumtum videtur, cujus veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui reges ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur. Nam & noſtræ mulieres, maxime nutrices, naturam, qua feminæ ſunt, in virginibus appellant porcum, & Græcæ χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum. Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum. Ita-

que iis animam datam esse proinde ac salem, quæ servaret carnem. E queis succidias Galli optimas & maximas facere consueverunt. Optimarum signum, quod etiam nunc quotannis e Gallia apportantur Romam pernæ tomacinæ, & taniacæ, & petasiones. De magnitudine Gallicarum succidiarum Cato scribit his verbis: In Italia in scrobes terna atque quaterna millia aulia succidia. Vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam. Itaque eas si quis quo trajicere vult, in plostrum imponit. In Hispania ulteriore, in Lusitania sus cum esset occisus, Attilius Hispaniensis, minime mendax & multarum rerum peritus in doctrina, dicebat L. Volumnio Senatori missam esse offulam cum duabus costis, quæ penderet III & XX pondo: ejusque suis a cute ad os pedem & III digitos fuisse. Cui *ego*, Non minus res admiranda, cum mi esset dicta, in Arcadia scio me esse spectatum suem, quæ præ pinguitudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam ut in ejus corpore sorex exesa carne nidum fecisset, & peperisset mures. Hoc etiam in vineta factum accepi. Sus ad fœturam quæ sit fœcunda, animadvertunt fere ex primo partu, quod non multum in reliquis mutat. In nutricatu quam porculationem appellabant, binis mensibus porcos sinunt cum matribus. sed eos, cum jam pasci possunt, secernunt. Porci, qui nati hieme, fiunt exiles propter frigora, & quod matres aspernantur, propter exiguitatem lactis, & quod dentibus sauciantur propterea mammæ. scrofa in sua quæque hara suos alat oportet

porcos, quo alienos aspernantur : & ideo si conturbati sunt in fœtura, fit deterius. Natura divisus earum annus bifariam, quod bis parit in anno. quaternis mensibus fert ventrem, binis nutricat. Haram facere oportet circiter trium pedum altam, & latam amplius paulo, ea altitudine abs terra, ne, dum exsilire velit prægnans, abortet. Altitudinis modus sit, ut subulcus facile circumspicere possit ne qui porcellus a matre opprimatur, & ut facile purgare possit cubile. In haris ostium esse oportet, & limen inferius [altum] palmipedale, ne porci ex hara, cum mater prodit, transilire possint. Quotiescunque haras subulcus purgat, toties arenam injicere oportet, aut quid aliud, quod exsugat humorem, [in singulas injicere debet :] & cum pepererit, largiore cibatu sustentare, quo facilius lac suppeditare possit. in quibus ordei circiter binas libras aqua madefactas dare solent, & hoc quoque conduplicant, ut sit mane & vesperi, si alia, quæ objiciant, non habuerint. Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur, neque jam lactentes dicuntur. qui a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum. Itaque apud Plautum in Menæchmis, cum insanum quem putat, ut pietur in oppido Epidamno, interrogat, Quanti hic porci sunt sacres? Si fundus ministrat, dari solent vinacea, ac scopi ex uvis. Amisso nomine lactentis, dicuntur nefrendes, ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, id est, frangere. Porcus Græcum est nomen antiquum, sed

obſcuratum, quod nunc eum vocant χοῖρον. In eorum fœtu ſcrofæ bis die ut bibant, curant, lactis cauſa. Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. ſi minus pariat, fructuariam idoneam non eſſe. ſi plures pariat, eſſe portentum. In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod ſus Æneæ Lavinii XXX porcos pepererit albos. Itaque quod portenderit, factum XXX annis, ut Lavinienſes condiderint oppidum Albam. Hujus ſuis, ac porcorum etiam nunc veſtigia apparent Lavinii: quod & ſimulacra eorum ahenea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris ab ſacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur. Nutricare octonos porcos parvulos primo poſſunt: incremento facto, a peritis dimidia pars removeri ſolet, quod mater neque poteſt ſufferre lac, neque congenerati aleſcendo roborari. A partu decem diebus proximis non producunt ex haris matrem, præterquam potum. præteritis decem diebus ſinunt exire paſtum in propinquum locum villæ, ut crebro reditu [lacte] alere poſſit porcos. Cum creverunt, cupiunt ſequi matrem paſtum: domique ſecernunt a matribus, ac ſeorſum paſcunt, ut deſiderium ferre poſſint parentis, quod decem diebus aſſequuntur. Subulcus debet conſuefacere, omnia ut faciant ad bucinam. Primo cum incluſerunt, cum bucinatum eſt, aperiunt, ut exire poſſint in eum locum, ubi ordeum fuſum in longitudine. Sic enim minus diſperit, quam ſi in acervos poſitum, & plures facilius accedunt, ideo ad XII convenire dicuntur, ut ſilveſtri loco diſperſi, ne diſpereant. Caſtrantur verres

commodiſſime anniculi, utique ne minores, quam ſemeſtres: quo facto nomen mutant, atque e verribus dicuntur majales. De ſanitate ſuum unum modo exempli cauſa dicam. Porcis lactentibus ſi ſcrofa lac non poteſt ſuppeditare, triticum frictum dari oportet, (crudum enim ſolvit alvum) vel ordeum objici ex aqua, quoad fiant trimeſtres. De numero, in centum ſues decem verres ſatis eſſe putant. quidam etiam hinc demunt. Greges majores inæquabiles habent. ſed ego modicum puto centenarium. aliquot majores faciunt, ita ut ter quinquagenos habeant. porcorum gregem alii duplicant, alii etiam majorem faciunt. minor grex, quam major, minus ſumtuoſus, quod comites ſubulcus pauciores quærit. Itaque gregis numerum paſtor ab ſua utilitate conſtituit, non ut quot verres habeat: id enim a natura ſumendum. Hæc hic.

V. At Q. LUCIENUS ſenator, homo quamvis humanus, ac jocoſus, introiens, familiaris omnium noſtrum, συνηπειρῶται, inquit, χαίρετε, & Varronem noſtrum, inquit, ποιμένα λαῶν. Scrofam enim mane ſalutavi. Cum alius eum ſalutaſſet, alius conviciatus eſſet, qui tam ſero veniſſet ad conſtitutum, Videbo jam vos, inquit, balatrones, & huc afferam meum corium & flagra. Tu vero, Murri, veni mi advocatus, dum aſſes ſolvo Palilibus, ſi poſtea a me repetant, ut teſtimonium perhibere poſſis. ATTICUS Murrio, Narra iſti, inquit, eadem, qui ſermones ſint habiti, & quid reliqui ſit, ut ad partes paratus veniat: nos interea ſecundum actum de majoribus attexamus. In quo quidem, inquit VACCIUS,

meæ partes, quoniam boves ibi. Quare dicam, de bubulo pecore, quam acceperim ſcientiam: ut ſi quis quid ignorat., diſcat; ſi quis ſcit, nunc, ubi labar, obſervet. Vide, quid agas, *inquam*, Vacci. Nam bos in pecuaria, maxima debet eſſe auctoritate: præſertim in Italia, quæ a bubus nomen habere ſit exiſtimata. Græcia enim antiqua (ut ſcribit Timæus) tauros vocabant ἰταλούς. a quorum multitudine, & pulchritudine, & fœtu vitulorum, Italiam dixerunt. Alii ſcripſerunt, quod e Sicilia Hercules perſecutus ſit eo nobilem taurum, qui diceretur Italus. Hic ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. qua in re teſtis Attice, teſtis Peloponneſos. Nam ab hoc pecore Athenis Buzuges nobilitatus, Argis ὀνόγυρος. Novi, *inquit ille*, majeſtatem boum, & ab his dici pleraque magna, ut βούσυκον, βούπαιδα, βούλιμον, βοῶπιν. uvam quoque bumammam. præterea ſcio hunc eſſe, in quem potiſſimum Juppiter ſe convertit, cum exportavit per mare e Phœnice amans Europam; hunc eſſe, qui filios Neptuni e Menalippa ſervarit, ne in ſtabulo infantes grex boum obtereret. denique ex hoc putrefacto naſci dulciſſimas apes, mellis matres, a quo eas Græci βουγόνας appellant, & hinc Plautium locutum eſſe Latine, cum Hirrium prætorem renuntiatum Romam in ſenatum ſcriptum habere. Sed bono animo es, non minus ſatisfaciam tibi, quam qui Bugoniam ſcripſit. Primum in bubulo genere ætatis gradus dicuntur quatuor. Prima vitulorum, ſecunda ju-

vencorum, tertia boum novellorum; quarta vetulorum. Discernuntur in prima vitulus & vitula; in secunda juvencus & juvenca; in tertia & quarta, taurus & vacca. Quæ sterilis est vacca, taura appellata; quæ prægnans, horda. ab eo in fastis dies hordicalia nominantur, quod tunc hordæ boves immolantur. Qui gregem armentorum emere vult, observare debet primum, ut sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam jam expartæ; ut sint bene compositæ, ut integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis & nigris, pilosis auribus, compressis malis, subsimisve, gibberi spina leviter remissa, apertis naribus, labris subnigris, cervicibus crassis ac longis, a collo palearibus demissis, corpore amplo, bene costatos, latis humeris, bonis clunibus, caudam profusam usque ad calces ut habeant, inferiorem partem frequentibus pilis subcrispam, cruribus potius minoribus, rectis genibus, eminulis, distantibus inter se, pedibus non latis, neque ingredientibus qui displodantur, nec cujus ungulæ divaricent, & cujus ungues sint leves & pares, corium attactu non asperum ac durum, colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, quarto albo: mollissimus enim hic, ut durissimus primus. De mediis duobus prior quam posterior melior; utrique pluris, quam nigri & albi. Neque non præterea, ut mares feminis boni sint, quorum & forma est spectanda, & qui ex his orti sunt, ut respondeant ad parentum speciem: & præterea, quibus regionibus nati sunt, refert. boni enim generis in Italia plerique Gallici

ter, ſi aliter feceris, ſe recipiunt. qui autem poſtea caſtrantur, duri & inutiles fiunt. Item ut in reliquis gregibus pecuariis, delectus quotannis habendus, & rejiculæ rejiciundæ, quod locum occupant earum, quæ ferre poſſunt fructus. Si quæ amiſit vitulum, ei ſupponere oportet eos, quibus non ſatis præbent matres. Semeſtribus vitulis objiciunt furfures triticeos, & farinam ordeaceam, & teneram herbam: & ut bibant mane & veſperi, curant. De ſanitate ſunt complura, quæ exſcripta de Magonis libris, armentarium meum crebro ut aliquid legat, curo. Numerus de tauris & vaccis ſic habendus, ut in ſexaginta, unus ſit anniculus, alter bimus. Quidam habent aut minorem, aut majorem numerum [gregum]. Nam apud eum duo tauri in ſeptuaginta matribus ſunt. Numerum gregum alius facit alium. quidam centenarium modicum putant eſſe, ut ego. Atticus centumviginti habet, ut Lucienus. Hæc ille.

VI. At MURRIUS, qui, dum loquitur Vaccius, cum Lucieno rediiſſet, Ego, inquit, de aſinis potiſſimum dicam, quod ſum Reatinus, ubi optimi & maximi fiunt, e quo ſeminio ego hic procreavi pullos, & ipſis Arcadibus vendidi aliquoties. Igitur aſinorum gregem qui facere vult bonum, primum videndum, ut mares feminaſque bona ætate ſumat, utique ut quam diutiſſime fructum ferre poſſint: firmos, omnibus partibus honeſtos, corpore amplo, ſeminio bono: ex his locis, unde optimi exeunt, quod faciunt Peloponneſii, cum potiſſimum eos ex Arcadia emant; in Italia ex agro Reatino. Non enim ſi murænæ optimæ flutæ ſunt in

Sicilia, & ellops ad Rhodon, continuo hi pisces in omni mari similes nascuntur. Horum genera duo. unum ferum, quos vocant onagros, in Phrygia & Lycaonia sunt greges multi. alterum mansuetum, ut sunt in Italia omnes. Ad seminationem onagrus idoneus, quod e fero fit mansuetus facile, & e mansueto ferus nunquam. Quod similes parentum gignuntur, eligendi & mas & femina, cum dignitate ut sint. In mercando item ut ceteræ pecudes emtionibus & traditionibus dominum mutant, & de sanitate ac noxa solet caveri. Commode pascuntur farre & furfuribus ordeaceis. Admittuntur ante solstitium, ut eodem tempore alterius anni pariant. duodecimo enim mense conceptum semen reddunt. Prægnantes opere levant. venter enim labore nationem reddit deteriorem. Marem non dijungunt ab opere, quod remissione laboris fit deterior. In pastu eadem fere observant, quæ in equis. Secundum partum pullos anno non removent a matre. proximo anno noctibus patiuntur esse cum his, & leniter capistris, aliave qua re habent vinctos. tertio anno domare incipiunt ad eas res, ad quas quisque eos vult habere in usu. Relinquitur de numero, quorum greges non sane fiunt, nisi ii, qui onera portent. Ideo quod plerique deducuntur ad molas, aut ad agriculturam, ubi quid vehendum est; aut etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campania. Greges fiunt fere mercatorum, ut eorum, qui e Brundisino, aut Apulia asellis dossuariis comportant ad mare oleum, aut vinum, itemque frumentum, aut quid aliud.

VII. Lucienus, Ego quoque adveniens aperiam carceres, inquit, & equos emittere incipiam, nec solum mares, quos admissarios habeo, ut Atticus, singulos in feminas denas, e queis feminas Q. Modius Equiculus vir fortissimus etiam patre militari juxta ac mares habere solebat. Horum equorum & equarum greges qui habere voluerint, ut habent aliqui in Peloponneso, & in Apulia, primum spectare oportet ætatem, quam præcipiunt. Videndum, ne sint minores trimæ, majores decem annorum. Ætas cognoscitur equorum, & fere omnium, qui ungulas indivisas habent, & etiam cornutarum, quod equus triginta mensium primum dentes medios dicitur amittere, duo superiores, totidem inferiores. incipientes quartum agere annum itidem ejiciunt, & totidem proximos eorum, quos amiserunt, & incipiunt nasci, quos vocant columellares. Quinto anno incipienti item eodem modo amittere binos, quos caninos habent: tum renascentes eis, sexto anno impleri: septimo omnes habere solent renatos & completos. His majores qui sunt, intelligi negant posse, præterquam cum dentes sint facti brocchi, & supercilia cana, & sub ea lacunæ, ex observatu dicunt eum equum habere annos sedecim. Forma esse oportet magnitudine modica, quod nec vastos, nec minutos decet esse. equas clunibus ac ventribus latis. equos, ad admissuram quos velis habere, legere oportet amplo corpore, formosos, nulla parte corporis inter se non congruenti. Qualis futurus sit equus, e pullo conjectari potest, si caput habet non magnum, nec membris confusis:

si est oculis nigris, naribus non angustis, auribus applicatis, non angusta juba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis, implicata in dexteriorem partem cervicis, pectus latum & plenum, humeris latis, ventre modico, lumbis deorsum versum pressis, scapulis latis, spina maxime duplici; sin minus, non exstanti, coda ampla subcrispa, cruribus rectis & æqualibus, genibus rotundis, ne magnis, nec introrsus spectantibus, ungulis duris: toto corpore ut habeat venas, quæ animadverti possint, quod qui hujuscemodi sit, & cum est æger, ad medendum est appositus: corpore multo. De stirpe magni interest qua sint, quod genera sunt multa. itaque ad hoc nobiles a regionibus dicuntur, in Græcia Thessalici equi, a terra Apuli, ab Rosea Roseani. Equi boni futuri signa sunt, si cum gregalibus in pabulo contendit in currendo, aliave qua re, quo potior sit: si, cum flumen travehundum est, gregi inprimis prægreditur, ac non respectat alios. Emtio equina similis fere ac boum, & asinorum, quod eisdem rebus in emtione dominum mutant, ut in Mamilii actionibus sunt perscripta. Equinum pecus pascendum in pratis potissimum herba; in stabulis ac præsepibus, arido fœno. Cum pepererunt, ordeo adjecto bis die danda aqua. Horum fœturæ initium admissionis facere oportet ab æquinoctio verno ad solstitium, ut partus idoneo tempore fiat. duodecimo enim mense, die decimo, ajunt nasci. quæ post tempus nascuntur, fere vitiosa, atque inutilia exsistunt. Admittere oportet, cum tempus anni venerit, bis in die, mane & vespere perorigam. is ita appel-

latur, quiqui admittit. eo enim adjutante equæ alligatæ celerius admittuntur, neque equi frustra cupiditate impulsi semen ejiciunt. Quoad satis sit admitti, ipsæ significant, quod se defendunt. Si fastidium saliendi est, scillæ medium conterunt cum aqua ad mellis crassitudinem: tum ea re naturam equæ, cum menses ferunt, tangunt; contra, ab locis equæ nares equi tangunt. Tametsi incredibile, quod usu venit, memoriæ mandandum. cum equus matrem ut saliret adduci non posset, & eum capite obvoluto peroriga adduxisset, & coegisset matrem inire, cum descendenti demsisset ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit. Cum conceperunt equæ, videndum, ne aut laborent plusculum, aut ne frigidis locis sint, quod algor maxime prægnantibus obest. Itaque in stabulis ab humore prohibere oportet humum, clausa habere ostia, ac fenestras, & inter singulas a præsepibus interjicere longurios, qui eas discernant, ne inter se pugnare possint. Prægnantem neque implere cibo, neque esurire oportet. Alternis qui admittunt, diuturniores equos, & meliores pullos fieri dicunt, itaque ut restibiles segetes essent exsuctiores, sic quotannis quæ prægnantes fiant. In decem diebus secundum partum cum matribus in pabulum prodigendum. Ne ungulas comburat stercus, cavendum. Quinquemestribus pullis factis, cum redacti sunt in stabulum, objiciendum farinam ordeaceam molitam cum furfuribus, & si quid aliud terra natum libenter edent. Anniculis jam factis dandum ordeum & furfures, usque quoad erunt lactentes. neque

prius biennio confecto a lacte removendum. eosque, cum stent cum matribus, interdum tractandum, ne, cum sint dijuncti, exterreantur. eademque causa ibi frenos suspendendum, ut equuli consuescant & videre eorum faciem, & e motu audire crepitus. Cum jam ad manus accedere consuerint, interdum imponere iis puerum, bis aut ter pronum in ventrem, postea jam sedentem. hæc facere cum sit trimus. tum enim maxime crescere, ac lacertosum fieri. Sunt qui dicant, post annum & sex menses equulum domari posse, sed melius post trimum, a quo tempore farrago dari solet. hæc enim purgatio maxime necessaria equino pecori. quod diebus decem facere oportet, nec pati alium ullum cibum gustare. Ab undecimo die usque ad quartum decimum dandum ordeum, quotidie adjiciendo minutatim. quod quarto die feceris, in eo decem diebus proximis manendum, ab eo tempore mediocriter exercendum: &, cum sudarit, perunguendum oleo. Si frigus erit, in equili faciendus ignis. Equi quod alii sunt ad rem militarem idonei, alii ad vecturam, alii ad admissuram, alii ad cursuram, non item sunt spectandi atque habendi. Itaque peritus belli alios eligit, atque alit, ac docet: aliter quadrigarius, ac desultor. neque idem, qui vectarios facere vult, ad ephippium, aut ad prædam: quod ut [ad rem militarem, quod] ibi ad castra habere volunt acres, sic contra in viis habere malunt placidos. propter quod discrimen maxime institutum, ut castrentur equi. demtis enim testiculis fiunt quietiores, & ideo quod semine carent, ii canterii appellati, ut in sui-

bus majales; gallis gallinaceis, capi. De medicina, vel plurima ſunt in equis & ſigna morborum, & genera curationum, quæ paſtorem ſcripta habere oportet. Itaque ob hoc in Græcia potiſſimum medici pecorum ἱππίατροι appellati.

VIII. Cum hæc loqueremur, venit a Menate libertus, qui dicat liba abſoluta eſſe, & rem divinam paratam: ſi vellent, venirent illuc, & ipſi pro ſe ſacrificarentur. Ego vero, *inquam*, vos ire non patiar ante, quam mihi reddideritis tertium actum, de mulis, de canibus, de paſtoribus. Brevis oratio de iſtis, inquit MURRIUS. nam muli & hinni bigeneri, atque inſiticii, non ſuopte genere ab radicibus. ex equa enim & aſino fit mulus. contra ex equo & aſina hinnus. Uterque eorum ad uſum utilis, partu fructus neuter. Pullum aſininum a partu recentem ſubjiciunt equæ, cujus lacte ampliores fiunt, quod id lacte, quam aſininum, ac alia omnia dicunt eſſe melius. Præterea educant eum paleis, fœno, ordeo. Matri ſuppoſiticiæ quoque inſerviunt, quo equa ad miniſterium lactis cibum pullo præbere poſſit. Hic ita eductus a trimo, poteſt admitti. neque enim aſpernatur, propter conſuetudinem equinam. Hunc minorem ſi admiſeris, & ipſe citius ſeneſcit, & quæ ex eo concipiuntur fiunt deteriora. Qui non habent eum aſinum, quem ſuppoſuerunt equæ, & aſinum admiſſarium habere volunt, de aſinis quem ampliſſimum formoſiſſimumque poſſunt, eligunt. quique ſeminio natus ſit bono, Arcadico, ut antiqui dicebant, ut nos experti ſumus, Reatino: ubi trecenis ac quadrigenis millibus ad-

missarii aliquot venierunt. quos emimus item ut equos, stipulamurque in emendo, ac facimus in accipiendo idem, quod dictum est in equis. Hos pascimus præcipue fœno atque ordeo, & id ante admissuram largius facimus, ut cibo suffundamus vires ad fœturam. Eodem tempore, quo equos adducentes, iidemque ut ineant equas per origas curamus. Cum peperit equa mulum, aut mulam, nutricantes educamus. Hi, si in palustribus locis, atque uliginosis nati, habent ungulas molles. iidem si exacti sunt æstivo tempore in montes, quod fit in agro Reatino, durissimis ungulis fiunt. In grege mulorum parando, spectanda ætas, & forma. alterum, ut vecturis sufferre labores possint; alterum, ut oculos aspectu delectare queant. hisce enim binis conjunctis omnia vehicula in viis ducuntur. Hæc me Reatino auctore probares, mihi *inquit*, nisi tu ipse domi equarum greges haberes, ac mulorum greges vendidisses. Hinnus, qui appellatur, est ex equo & asina, minor quam mulus corpore, plerumque rubicundior, auribus ut equinis, jubam & caudam similem asini. Item in ventre est (ut equus) menses duodecim. Hosce item ut equulos & educant, & alunt, & ætatem eorum ex dentibus cognoscunt.

IX. Relinquitur, inquit ATTICUS, de quadrupedibus, quod ad canes attinet, maxime ad nos, qui pecus pascimus lanare. Canis enim ita custos pecoris, ut ejus, quod eo comite indiget ad se defendendum. in quo genere sunt maxime oves, deinde capræ. has enim lupus captare solet, cui opponi-

mus canes defenſores. In ſuillo pecore tamen ſunt, quæ ſe vindicent, ſues, verres, majales, ſcrofæ. prope enim hæc apris, qui in ſilvis ſæpe dentibus canes occiderunt. Quid dicam de pecore majore? cum ſciam mulorum gregem, cum paſceretur, eoque veniſſet lupus, ultro mulos circumfluxiſſe, & ungulis cædendo eum occidiſſe? & tauros ſolere diverſos aſſiſtere clunibus continuatos, & cornibus facile propulſare lupos? Quare de canibus, quoniam genera duo, unum venaticum, & pertinet ad feras beſtias, ac ſilveſtres; alterum, quod cuſtodiæ cauſa paratur, & pertinet ad paſtorem: dicam de eo ad formam artis expoſitam in novem partes. Primum ætate idonea parandi, quod catuli & vetuli neque ſibi, neque ovibus ſunt præſidio, & feris beſtiis nonnunquam prædæ. Facie debent eſſe formoſi, magnitudine ampla, oculis nigrantibus aut ravis, naribus congruentibus, labris ſubnigris aut rubicundis, neque reſimis ſuperioribus, nec pendulis ſubtus, mento ſuppreſſo, & ex eo enatis duobus dentibus dextra & ſiniſtra, paulo eminulis, ſuperioribus directis potius, quam brocchis: acutos, quos habeant, labro tectos: capitibus & auriculis magnis, ac flaccis: craſſis cervicibus, ac collo: internodiis articulorum longis: cruribus rectis, & potius varis, quam vatiis: pedibus magnis & altis, qui ingredienti ei diſplodantur: digitis diſcretis: unguibus duris ac curvis: ſolo nec ut corneo, nec nimium duro, ſed ut fermentato ac molli: ac feminibus ſummis corpore ſuppreſſo: ſpina neque eminula, neque curva: cauda craſſa: latratu gravi:

hiatu magno : colore potiſſimum albo, quod in tenebris ſpecie leonina. Præterea feminas volunt eſſe mammoſas æqualibus papillis. Item videndum, ut boni ſeminii ſint. Itaque a regionibus appellantur Lacones, Epirotici, Sallentini. Videndum, ne a venatoribus, aut laniis canes emas. alteri, quod ad pecus ſequendum inertes. alteri, ſi viderint leporem, aut cervum, quod eum potius, quam oves ſequentur. Quare aut a paſtoribus emta melior, quæ oves ſequi conſuevit: aut ſine ulla conſuetudine quæ fuerit. canis enim facilius quid aſſueſcit, eaque conſuetudo firmior, quæ ſit ad paſtores, quam quæ ad pecudes. P. Aufidius Pontianus Amiterninus, cum greges ovium emiſſet in Umbria ultima, quibus gregibus ſine paſtoribus canes acceſſiſſent; paſtores ut deducerent in Metapontinos ſaltus, & Heracleæ emporium : inde cum domum rediſſent, qui ad locum deduxerant, e deſiderio hominum diebus paucis poſtea canes ſua ſponte, cum dierum multorum via intereſſet, ſibi ex agris cibaria præbuerunt, atque in Umbriam ad paſtores redierunt. neque eorum quiſquam fecerat, quod in agricultura Saſerna præcepit, Qui vellet ſe a cane ſectari, uti ranam objiciat coctam. Magni intereſt, ex ſemine eſſe canes eodem, quod cognati maxime inter ſe ſunt præſidio. Sequitur quartum de emtione : ſit alterius, cum a priore domino ſecundo traditum eſt. De ſanitate & noxa ſtipulationes fiunt eædem, quæ in pecore, niſi quod hic utiliter exceptum eſt. Alii pretium faciunt in ſingula capita canum. alii ut catuli ſequantur matrem. alii ut bini catuli unius canis

numerum obtineant, ut ſolent bini agni ovis. plerique ut accedant canes, qui conſuerunt eſſe una. Cibatus canis propior hominis, quam ovis. paſcitur enim e culina & oſſibus, non herbis aut frondibus. Diligenter ut habeant cibaria providendum. fames enim hos ad quærendum cibum ducet, ſi non præbebitur, & a pecore abducet. Niſi ſi (ut quidam putant) etiam illuc pervenerint, proverbium ut tollant antiquum: vel etiam ut μῦθον aperiant de Actæone, atque in dominum afferant dentes. Nec non ita panem ordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum, quod eo conſueti cibo uti, a pecore non cito deſciſcunt. Morticinæ ovis non patiuntur veſci carne, ne ducti ſapore minus ſe abſtineant. Dant etiam jus ex oſſibus, & ea ipſa oſſa contuſa. dentes enim facit firmiores, & os magis patulum: propterea quod vehementius diducuntur malæ, acrioreſque fiunt propter medullarum ſaporem. Cibum capere conſueſcunt interdiu, ubi paſcuntur: veſperi, ubi ſtabulantur. De fœtura, principium admittendi faciunt veris principio: tunc enim dicuntur catulire, id eſt, oſtendere velle ſe maritari. Quæ cum admiſſæ, pariunt circiter ſolſtitio. prægnantes enim ſolent eſſe ternos menſes. In fœtura dandum potius ordeaceos quam triticeos panes. magis enim eo aluntur, & lactis præbent majorem facultatem. In nutricatu ſecundum partum ſi plures ſunt, ſtatim eligere oportet, quos habere velis, reliquos abjicere. quam pauciſſimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt, propter copiam lactis. Subſternitur eis acus, aut quid item aliud, quod

molliore cubili facilius educantur. catuli diebus XX videre incipiunt. Duobus mensibus primis a partu non dijunguntur a matre, sed minutatim desuefiunt. Educunt eos plures in unum locum, & irritant ad pugnandum, quo fiant acriores, neque defatigari patiuntur, quo fiant segniores. Consue quoque faciunt, ut alligari possint, primum levibus vinclis: quæ si abrodere conantur, ne id consuescant facere, verberibus eos deterrere solent. Pluviis diebus cubilia substernenda fronde aut pabulo, duabus de causis, ut ne oblinantur, aut perfrigescant. Quidam eos castrant, quod eo minus putant relinquere gregem. quidam non faciunt, quod eos credunt minus acres fieri. Quidam nucibus Græcis in aqua tritis perungunt aures, & inter digitos: quod muscæ, & ricini, & pulices soleant (si hoc unguine non sis usus) ea exulcerare. Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur his collaria, quæ vocantur mælium, id est, cingulum circum collum ex corio firmo cum clavulis capitatis, quæ intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. Quod si lupus, aliusve quis his vulneratus est, reliquas quoque canes facit, quæ id non habent, ut sint in tuto. Numerus canum pro pecoris multitudine solet parari. fere modicum esse putant, ut singuli sequantur singulos opiliones: de quo numero alius alium modum constituit. Quod si sunt regiones, ubi bestiæ sint multæ, debent esse plures. quod accidit iis, qui per calles silvestres longinquos solent comitari in æstiva & hiberna. Villatico vero gregi in fundum satis esse duo, & id marem, & feminam. Ita enim sunt

assiduiores, quod cum altero idem fit acrior, & si alter indesinenter æger est, ne sine cane grex sit. Cum circumspiceret Atticus, ne quid præterisset, Hoc silentium, *inquam*, vocat alium ad partes.

X. Reliquum enim in hoc actu, quot & quod genus sint habendi pastores. COSSINIUS, ad majores pecudes ætate superiores, ad minores etiam pueros, & utroque horum firmiores, qui in callibus versentur, quam eos, qui in fundo quotidie ad villam redeant. Itaque in saltibus licet videre juventutem, & eam fere armatam, cum in fundis non modo pueri, sed etiam puellæ pascant. Qui pascunt, eos cogere oportet, in pastione diem totum esse, pascere communiter. contra, pernoctare ad suum quemque gregem. esse omnes sub uno magistro pecoris: eum esse majorem natu potius, quam alios, & peritiorem quam reliquos: quod iis, qui ætate & scientia præstant, animo æquiore reliqui parent. Ita tamen oportet ætate præstare, ut ne propter senectutem minus sustinere possit labores. neque enim senes, neque pueri callium difficultatem, ac montium arduitatem, atque asperitatem facile ferunt: quod patiendum illis, qui greges sequuntur, præsertim armenticios, ac caprinos, quibus rupes ac silvæ ad pabulandum cordi. Formæ hominum legendæ, ut sint firmæ, ac veloces, mobiles, expeditis membris: qui non solum pecus sequi possint, sed etiam a bestiis ac prædonibus defendere: qui onera extollere in jumenta possint, qui excurrere, qui jaculari. Non omnis apta natio ad pecuariam, quod neque Basculus, neque Turdulus idonei: Galli

appositissimi, maxime ad jumenta. In emtionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt: si hereditatem justam adiit: si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit: aut si in jure cessit, cui potuit cedere, & id ubi oportuit: aut si usu cepit: aut si e præda sub corona emit: tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit. In horum emtione solet accedere peculium; aut si excipiet, stipulatio intercedere, sanum eum esse, furtis noxisque solutum: aut si mancipio non datur, dupla promitti: aut si ita pacti, simpla. Cibus eorum debet esse interdiu separatim uniuscujusque gregis. vespertinus in cœna, qui sunt sub uno magistro, communis. Magistrum providere oportet, ut omnia sequantur instrumenta, quæ pecori & pastoribus opus sunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum: ad quam rem habent jumenta dossuaria domini, alii equas, alii pro his quid aliud, quod onus dorso ferre possit. Quod ad fœturam humanam pertinet pastorum, qui in fundo perpetuo manent, facile est, quod habeant conservam in villa. nec hac venus pastoralis longius quid quærit. Qui autem sunt in saltibus, & silvestribus locis pascunt, & non villa, sed casis repentinis imbres vitant: his mulieres adjungere, quæ sequantur greges; ac cibaria pastoribus expediant, eosque assiduiores faciant, utile arbitrati multi. Sed eas mulieres esse oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris, ut in Illyrico passim videre licet, quod vel pascere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere, vel ad casas instru-

mentum servare possunt. De nutricatu hoc dico, easdem fere & nutrices, & matres. TREMELLIUS, simul aspicit ad me, &, Ut te audii dicere, inquit, cum in Liburniam venisses, te vidisse matres familias eorum afferre ligna, & simul pueros, quos alerent, alias singulos, alias binos, quæ ostenderent fœtas nostras, quæ in conopeis jacent dies aliquot, esse * levuncidas, ac contemnendas, Cui *ego*, Certe *inquam*: nam in Illyrico hoc amplius, prægnantem sæpe, cum venit pariendi tempus, non longe ab opere discedere, ibique enixam puerum referre, quem non peperisse, sed invenisse putes. nec non etiam hoc, quas virgines ibi appellant, nonnunquam annorum XX, quibus mos eorum non denegavit, ante nuptias ut succumberent quibus vellent, & incomitatis ut vagari liceret, & filios habere. Quæ ad valetudinem pertinent hominum, ad pecoris, ut sine medico curari possint, magistrum scripta habere oportet. Is enim sine literis idoneus non est, quod rationes dominicas pecuarias conficere nequidquam recte potest. De numero pastorum alii angustius, alii laxius constituere solent. Ego in octogenas hirtas oves singulos pastores constitui, Atticus in centenas. In gregibus ovium, sed magnis, quos milliarios faciunt quidam, facilius de summa hominum detrahere possunt, quam de minoribus, ut sunt & Attici, & mei. Septingenarii enim mei: tu, opinor, octingenarios habuisti. nec tamen non ut nos arietum decimam partem. Ad equarum gregem quinquagenarium bini homines. utique uterque horum ut secum habeat equas domitas singu-

las in iis regionibus, in quibus ſtabulari ſolent equas abigere, ut in Apulia & in Lucanis accidit ſæpe.

XI. Quoniam promiſſa abſolvimus, *inquit*, eamus. Siquidem, *inquam*, adjeceritis de extraordinario pecudum fructu, ut prædictum eſt de lacte in eo, & tonſura lanæ. Eſt omnium rerum, quas cibi cauſa capimus, liquentium maxime alibile, & id ovillum, inde caprinum. Quod autem maxime perpurget, eſt equinum, tum aſininum, dein bubulum, tum caprinum. Sed horum ſunt diſcrimina quædam, & a paſtionibus, & a pecudum natura, & a mulctu. A paſtionibus, quod fit ab ordeo, & ſtipula, & omnino arido & firmo cibo pecude paſta, id alibile. ad perpurgandum id, quod ab viridi paſcuo, & eo magis fluxe ex herba, quæ ipſa ſumta perpurgare corpora noſtra ſolet. A pecudum natura, quod lac melius eſt a valentibus, & ab iis, quæ nondum veteres ſunt, quam ſi eſt contra. A mulgendo atque ortu optimum eſt id, quod neque emunctum longe abeſt a mulſo, neque a partu continuo eſt ſumtum. Ex hoc lacte caſei qui fiunt, maximi cibi ſunt bubuli, & qui difficillime tranſeant ſumti: ſecundo ovilli: minimi cibi, & qui facillime dejiciantur, caprini. Eſt etiam diſcrimen, utrum caſei molles ac recentes ſint, an aridi & veteres. Cum molles ſunt, magis alibiles, in corpore non reſides: veteres & aridi contra. Caſeum facere incipiunt a Vergiliis vernis exortis ad æſtivas Vergilias. mulgent vere ad caſeum faciundum mane, aliis temporibus, meridianis horis, tametſi propter loca & pabulum diſparile non uſque quaque idem fit. in lactis duos con-

gios addunt coagulum magnitudine oleæ, ut coeat. quod melius leporinum & hœdinum, quam agninum. alii pro coagulo addunt de fici ramo lac, & acetum. aſpergunt item aliis aliquot rebus, quod Græci appellant alii ὀπὸν, alii δάκρυον. Non negarim, *inquam*, ideo apud divæ Rumiæ ſacellum a paſtoribus ſatam ficum. ibi enim ſolent ſacrificari lacte pro vino, & pro lactentibus. mammæ enim rumis, ſive rumæ, ut ante dicebant, a rumi; & inde dicuntur ſubrumi agni: lactentes, a lacte. Quin aſpergi ſolent ſales: melior foſſilis, quam marinus. De tonſura ovium, primum animadverto antequam incipiam facere, num ſcabiem aut ulcera habeant, ut, ſi opus eſt, ante curentur, quam tondeantur. Tonſuræ tempus inter æquinoctium vernum & ſolſtitium, cum ſudare inceperunt oves. a quo ſudore recens lana tonſa ſucida appellata eſt. Tonſas recentes eodem die perungunt vino & oleo: non nemo admixta cera alba, & adipe ſuillo. & ſi ea tecta ſolet eſſe, quam habuit pellem injectam, eam intrinſecus eadem re perinungunt, & tegunt rurſus. Si qua in tonſura plagam accepit, eum locum oblinunt pice liquida. Oves hirtas tondent circiter ordeaceam meſſem: in aliis locis ante fœniſicia. Quidam has in anno bis tondent, ut in Hiſpania citeriore, ac ſemeſtres faciunt tonſuras. duplicem impendunt operam, quod ſic plus putant fieri lanæ. quo nomine quidam bis ſecant prata. Diligentiores tegeticulis ſubjectis oves tondere ſolent, ne qui flocci intereant. Dies ad eam rem ſumuntur ſereni, & iis id faciunt fere a quarta ad decimam horam: quo-

niam sole calidiore tonsa ex sudore ejus lana fit mollior, & ponderosior, & colore meliore. quam demtam ac conglobatam alii vellera, alii velumina appellant. ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram quam tonsuram inventam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo habent jejunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent. Omnino tonsores in Italia primum venisse ex Sicilia dicuntur post R. C. A. CCCCLIV; ut scriptum in publico Ardeæ in literis exstat, eosque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse, adsignificant antiquorum statuæ, quod pleræque habent capillum & barbam magnam. Suscipit COSSINIUS, Ut fructum ovis e lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad usum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vasa. Neque non quædam nationes harum pellibus sunt vestitæ, ut in Getulia & in Sardinia. cujus usum apud antiquos quoque Græcos fuisse apparet, quod in tragœdiis senes ab hac pelle vocantur διφθερίαι, & in comœdiis; qui in rustico opere morantur, ut apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adolescens, apud Terentium in Heautontimorumeno senex. Tondentur, quod magnis villis sunt, in magna parte Phrygiæ; unde Cilicia, & cetera ejus generis ferri solent. Sed quod primum ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas adjecisse dicunt. Illi hoc. neque ab hoc, quod mutaret Cossinius. & simul Vituli libertus in urbem veniens ex hortis divertitur ad nos, Et ego ad te missus, inquit, ibam domum

rogatum, ne diem feſtum faceres breviorem, & mature venires. Itaque diſcedimus ego & Scrofa in hortos ad Vitulum. Niger in Turranii noſtri. illi partim domum, partim ad Lenatem.

M. TERENTII VARRONIS
RERUM RUSTICARUM
DE
VILLATICIS PASTIONIBUS
LIBER TERTIUS.

I. CUM duæ vitæ traditæ ſint hominum, ruſtica, & urbana, Q. Pinni, dubium non eſt, quin hæ non ſolum locum diſcretæ ſint, ſed etiam tempore diverſam originem habeant. antiquior enim multo ruſtica: quod fuit tempus, cum rura colerent homines, neque urbem haberent. Etenim vetuſtiſſimum oppidum cum ſit traditum Græcum, Bœotiæ Thebæ, quod rex Ogyges ædificarit; in agro Romano Roma, quam Romulus rex: (nam in hoc nunc denique eſt, ut dici poſſit, non cum Ennius ſcripſit, *Septingenti ſunt paulo plus aut minus anni, Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt.*) Thebæ, quæ ante cataclyſmon Ogygi conditæ dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum ſunt. quod tempus ſi referas ad illud principium, quo agri coli ſunt cœpti, atque in caſis & tuguriis habitabant, nec murus, nec porta quid eſſet, ſciebant: immani numero annorum urbanos

agricolæ præſtant. nec mirum, quod divina natura dedit agros, ars humana ædificavit urbes: cum artes omnes dicantur in Græcia intra mille annorum repertæ, agri nunquam non fuerint in terris, qui coli poſſint. Neque ſolum antiquior cultura agri, ſed etiam melior. Itaque non ſine cauſa majores noſtri ex urbe in agris redigebant ſuos cives, quod & in pace a ruſticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur. Nec ſine cauſa Terram eandem appellabant matrem, & Cererem, & qui eam colerent, piam & utilem agere vitam credebant, atque eos ſolos reliquos eſſe ex ſtirpe Saturni regis. Cui conſentaneum eſt, quod Initia vocantur potiſſimum ea, quæ Cereri fiunt ſacra. Nec minus oppidi quoque nomen Thebæ indicant antiquiorem eſſe agrum, quod ab agri genere, non a conditore nomen ei eſt impoſitum. Nam lingua priſca & in Græcia Æoleis Bœotii ſine afflatu vocant collis Tebas: & in Sabinis, quo e Græcia venerunt Pelaſgi, etiam nunc ita dicunt. cujus veſtigium in agro Sabino via Salaria non longe a Reate milliarius clivus appellatur Thebæ. Cum agriculturam primo propter paupertatem maxime indiſcretam haberent, quod a paſtoribus qui erant orti, in eodem agro & ſerebant, & paſcebant: qui poſtea creverunt, peculia diviſerunt, ac factum, ut dicerentur alii agricolæ, alii paſtores. Quæ ipſa pars duplex eſt, tametſi ab nullo ſatis diſcreta, quod altera eſt villatica paſtio, altera agreſtis. Hæc nota & nobilis, quod & pecuaria appellatur, & multum homines locupletat, & ob eam rem aut conductos, aut emtos

habent ſaltus. Altera villatica, quod humilis videtur, a quibuſdam adjecta ad agriculturam cum eſſet paſtio, neque explicata tota ſeparatim, quod ſciam, ab ullo. Itaque cum putarem eſſe rerum ruſticarum, quæ conſtituta ſunt fructus cauſa, tria genera, unum de agricultura, alterum de re pecuaria, tertium de villaticis paſtionibus: tres libros inſtitui, e queis duo ſcripſi; primum ad Fundaniam uxorem de agricultura, ſecundum de pecuaria ad Turranium Nigrum. qui reliquus eſt tertius de villaticis fructibus, in hoc ad te mitto, quod viſus ſum debere pro noſtra vicinitate & amore ſcribere potiſſimum ad te. Cum enim villam haberes, opere tectorio & inteſtino, ac pavimentis nobilibus lithoſtrotis ſpectandam, parum putaſſes eſſe, ni tuis quoque literis exornati parietes eſſent. Ego quoque, quo ornatior ea eſſe poſſet fructu, quam factu, quoad facere poſſem, hæc ad te miſi, recordatus de ea re ſermones, quos de villa perfecta habuiſſemus. de quibus exponendis initium capiam hinc.

II. Comitiis ædiliciis, cum ſole caldo ego & Q. Axius ſenator tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, cum domum rediret: AXIUS, Mihi dum dirimentur, inquit, ſuffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis? Opinor, *inquam*, non ſolum, quod dicitur, Malum conſilium conſultori eſt peſſimum: ſed etiam bonum conſilium, qui conſulit, & qui conſulitur, bonum habendum. itaque imus,

venimus in villam. Ibi Appium Claudium augurem ſedentem invenimus in ſubſelliis, ut conſuli, ſi quid uſus popoſciſſet, eſſe præſto. Sedebat ad ſiniſtram ei Cornelius Merula, conſulari familia ortus, & Fircellius Pavo Reatinus. ad dextram Minutius Pica, & M. Petronius Paſſer. Ad quem cum acceſſimus, AXIUS APPIO ſubridens, Recipis nos, inquit, in tuum ornithona, ubi ſedes inter aves? *Ille*, Ego vero, inquit, te præſertim, cujus aves hoſpitales etiam nunc ructor, quas mihi appoſuiſti paucis ante diebus in villa Reatina ad lacum Velini, eunti de controverſiis Interamnatium & Reatinorum. Sed non hæc, inquit, villa, quamquam ædificarunt majores noſtri, frugalior ac melior eſt, quam tua illa perpolita in Reatino. Nuncubi hic vides citrum, aut aurum? num minium, aut Armenium? num quod emblema aut lithoſtrotum? quæ illic omnia contra. Et cum hæc ſit communis univerſi populi, illa ſolius tua. hæc quo ſuccedant e campo cives, & reliqui omnes, illa quò equæ & aſini: præterea cum ad rempublicam adminiſtrandam hæc ſit utilis, ubi cohortes ad delectum conſuli adductæ conſidant, ubi arma oſtendant, ubi cenſores cenſu admittant populum. Tua, *inquit*, hæc in campo Martio extremo utilis, & non deliciis ſumtuoſior, quam omnes omnium Reatinæ? cum & oblita tabulis eſt pictis, nec minus ſignis ornata. At mea, veſtigium ubi ſit nullum Lyſippi, aut Antiphili, ſed crebra ſatoris & paſtoris. Et cum villa non ſit ſine fundo magno, & eo polito cultura, tua iſta neque agrum habet ullum, nec bovem, nec equam.

Denique quid tua habet ſimile villæ illius, quam tuus avus & proavus habebat? nec enim, ut illa, fœniſicia videt arida in tabulato, nec vindemiam in cella, neque in granario meſſim. Nam quod extra urbem eſt ædificium, nihilo magis ideo eſt villa, quam eorum ædificia, qui habitant extra portam flumentanam, aut in Æmilianis. APPIUS ſubridens, Quoniam ego ignoro, inquit, quid ſit villa, velim me doceas, ne labar imprudentia, quod volo emere a M. Sejo in Oſtienſi villam. Quod ſi ea ædificia villæ non ſunt, quæ aſinum tuum, quem mihi quadraginta millibus emtum oſtendebas apud te, non habent, metuo, ne pro villa emam Oſtiæ in litore Sejanas ædes. Quod ædificium hic me L. Merula impulit, ut cuperem habere, cùm diceret, nullam ſe accepiſſe villam, qua magis delectatus eſſet, cum apud eum dies aliquot fuiſſet. nec tamen ibi ſe vidiſſe tabulam pictam, neque ſignum aheneum aut marmoreum ullum: nihilo magis torcula vaſa vindemiatoria, aut ſerias olearias, aut trapetas. AXIUS aſpicit *Merulam*, &, Quid igitur, inquit, eſt iſta villa, ſi nec urbana habet ornamenta, neque ruſtica membra? cui *ille*, Non minus villa tua erit ad angulum Velini, quam neque pictor, neque tector vidit unquam, quam in Roſea, quæ eſt polita opere tectorio eleganter, quam dominus habes communem cum aſino. Cum ſignificaſſet nutu, ninihilo minus eſſe villam eam, quæ eſſet ſimplex ruſtica, quam eam, in qua eſſet utrumque, [& ea, & urbana] & rogaſſet, quid ex his rebus colligeret: Quid? *inquit*, ſi propter paſtiones tuus

fundus in Rosea probandus sit; & quod ibi pascitur pecus ac stabulatur, recte villa appellatur: hæc quoque simili de causa debet vocari villa, in qua propter pastiones fructus capiuntur magni. Quid enim refert, utrum propter oves, an propter aves fructus capias? anne dulcior est fructus apud te ex bubulo pecore, unde apes nascuntur, quam ex apibus, quæ ad villam in alveariis opus faciunt? & num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros macellario Sejus? Qui minus ego, inquit AXIUS, istas habere possum in Reatina villa? nisi si apud Sejum Siculum fit mel, Corsicum in Reatino: & hic aprum glans cum pascit emticia, facit pinguem; illic gratuita exilem. APPIUS, Posse ad te fieri, inquit, Sejanas pastiones non negavit Merula: ego, non esse, ipse vidi. Duo enim genera cum sint pastionum: unum agreste, in quo pecuariæ sunt, alterum villaticum, in quo sunt gallinæ, ac columbæ, & apes, & cetera, quæ in villa solent pasci; de quibus & Pœnus Mago, & Cassius Dionysius, & alii quid separatim ac dispersim in libris reliquerunt, quos Sejus legisse videtur, & ideo ex his pastionibus ex una villa majores fructus capere, quam alii faciunt ex toto fundo. Certe, inquit MERULA. nam ibi vidi greges magnos anserum, gallinarum, columbarum, gruum, pavonum, nec non glirium, piscium, aprorum, & cetera venationis. ex quibus rebus scriba librarius, libertus ejus, qui apparuit Varroni, & me absente patrono hospitio accipiebat, in annos singulos plus quinquagena millia [e villa] capere di-

cebat. Axio admiranti, Certe nosti, *inquam*, materteræ meæ fundum in Sabinis, qui est ad quartum & vicesimum lapidem via salaria a Roma. Quidni, *inquit?* ubi æstate diem meridie dividere soleam, cum eo Reate ex urbe, aut cum inde venio hieme, noctu ponere castra. Atque in hac villa qui est ornithon, ex eo uno quinque millia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ, bis tantum quam tuus fundus ducentum jugerum Reate reddit. Quid sexaginta, inquit AXIUS? LX, LX. derides? Sexaginta, *inquam*. Sed ut ad hunc bolum pervenias, opus erit tibi aut epulum, aut triumphus alicujus, ut tunc fuit Scipionis Metelli, aut collegiorum cœnæ, quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli. Reliquis annis omnibus & hanc exspectabis summam. spero non tibi decoquet [non] ornithon. neque hoc accidit his moribus, nisi raro, ut decipiaris. Quotus quisque enim est annus, quo non videas epulum, aut triumphum, aut collegia [non] epulari, quæ nunc innumerabiles incendunt annonam? Sed propter luxuriam, *inquit*, quodammodo epulum quotidianum est intra januas Romæ. Nonne item L. Albutius, homo, ut scitis, apprime doctus, cujus Luciliano charactere sunt libelli, dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa? agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena. Idem secundum mare, quo loco vellet, si parasset villam, se supra centum millia [e villa] receptu-rum. Age non M. Cato nuper cum Luculli accepit tutelam, e piscinis ejus quadraginta millibus sexter-

tiis vendidit pifces? AXIUS, *Merula* mi, inquit, recipe me quæfo difcipulum villaticæ paftionis. *Ille*, Quin fimulac promiferis minerval, incipiam, *inquit*, id eft cœnam. Ego vero non recufo, vel hodie ex ifta paftione crebro. APPIUS, Credo fimulac primum ex ifto villatico pecore mortui erunt anferes, aut pavones. Cui *ille*, quid enim intereft, utrum morticinas editis volucres, an pifces, quos nifi mortuos eftis nunquam? Sed oro te, inquit, induce me in viam difciplinæ villaticæ paftionis, ac vim formamque ejus expone, *Merula*, non gravate.

III. Primum, *inquit*, dominum fcientem effe oportet earum rerum, quæ in villa, circumve eam ali ac pafci poffint, ita ut domino fint fructui ac delectationi. Ejus difciplinæ genera funt tria, ornithones, leporaria, pifcinæ. Nunc ornithonas dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ folent pafci. Leporaria te accipere volo, non ea, quæ tritavi noftri dicebant, ubi foliti lepores fint, fed omnia fæpta, affixa villæ quæ funt, & habent inclufa animalia, quæ pafcantur. Similiter pifcinas dico eas, quæ in aqua dulci aut falfa inclufos habent pifces ad villam. Harum fingula genera minimum in binas fpecies dividi poffunt; in prima parte ut fint, quæ terra modo funt contenta, ut funt pavones, turtures, turdi. altera fpecies funt, quæ non funt contenta terra folum, fed etiam aquam requirunt, ut funt anferes, querquedulæ, anates. Sic alterum genus illud venaticum duas habet diverfas fpecies: unam, in qua eft aper, caprea, lepus. Altera item

extra villam quæ ſunt, ut apes, cocleæ, glires. Tertii generis aquatilis item ſpecies duæ, partim quod habent piſces in aqua dulci, partim quod in marina. De his ſex partibus: ad iſta tria genera artificum paranda, aucupes, venatores, piſcatores, aut ab his emenda, quæ tuorum ſervorum diligentia tuearis in fœtura ad partus, & nata nutricere ſagineſque, in macellum ut perveniant. Neque non etiam quædam aſſumenda in villam ſine retibus aucupis, venatoris, piſcatoris, ut glires, cocleæ & gallinæ. Earum rerum cultura inſtituta prima, ea quæ in villa habentur. non enim ſolum augures Romani ad auſpicia primum pararunt pullos, ſed etiam patres familiæ rure. Secunda, quæ macerie ad villam venationis cauſa cluduntur, & propter alvearia. apes enim ſubter ſubgrundas ab initio villatico uſæ tecto. Tertia piſcinæ dulces fieri cœptæ, & e fluminibus captos recepere ad ſe piſces. Omnibus tribus his generibus ſunt bini gradus: ſuperiores, quos frugalitas antiqua; inferiores, quos luxuria poſterior adjecit. Primus enim ille gradus antiquus majorum noſtrum erat, in quo eſſent aviaria, duo dumtaxat: in plano cohors, in qua paſcebantur gallinæ, & earum fructus erant ova, & pulli. alter ſublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut ſumma villa. Contra, nunc aviaria ſunt nomine mutato, quod vocantur ornithones, quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant totas villas, in quibus ſtabulentur turdi ac pavones. Sic in ſecunda parti ac leporario pater tuus, *Axi*, præterquam lepuſculum e ve-

natione vidit nunquam. Neque enim erat magnum id ſæptum, quod nunc, ut habeant multos apros ac capreas, complura jugera maceriis concludunt. Non tum, *inquit* mihi, cum emiſti fundum Tuſculanum a M. Piſone, in leporario apri fuerunt multi? In tertia parti quis habebat piſcinam, niſi dulcem, & in ea dumtaxat ſqualos ac mugiles piſces? Quis contra nunc Rhinton non dicit ſua nihil intereſſe, utrum iis piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis? Non Philippus cum ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet, & ei e tuo flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & exſpuiſſet, dixit, Peream, ni piſcem putavi eſſe? Sic noſtra ætas, *inquam*, luxuria propagavit leporaria, ac piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit. Non propter hos appellati Sergius Orata, & Licinius Murena? Quis enim propter nobilitatem ignorat piſcinas Philippi, Hortenſii, Lucullorum? Quare, unde velis me incipere, *Axi*, dic.

IV. Ille, Ego vero, *inquit*, (ut ajunt) poſt principia in caſtris, id eſt, ab his potius temporibus, quam ſuperioribus: quod ex pavonibus fructus capiuntur majores, quam e gallinis. Atque adeo non diſſimulabo, quod volo, de ornithone primum, quod lucri fecerunt hoc nomen turdi. ſexaginta enim millia Fircellina excande me fecerunt cupiditate. MERULA, Duo ſunt, inquit, ornithonis genera. unum delectationis cauſa, ut Varro hic fecit noſter ſub Caſino, quod amatores invenit multos. alterum fructus cauſa, quo genere macellarii, &

in urbe quidam habent loca clausa, & rure maxime conducta in Sabinis, quod ibi propter agri naturam frequentes apparent turdi. Ex his tertii generis voluit esse Lucullus conjunctum aviarium, quod fecit in Tusculano, ut in eodem tecto ornithonis inclusum triclinium haberet, ubi delicate cœnitaret, & alios videret in mazonomo positos coctos, alios volitare circum fenestras captos. Quod inutile invenerunt. Nam non tantum in eo oculos delectant intra fenestras aves volitantes, quantum offendit, quod alienus odor opplet nares.

V. Sed quod te malle arbitror, Axi, dicam de hoc ornithone, quod fructus causa faciunt, unde, non ubi, sumuntur pingues turdi. Igitur testudo (ut peristylum tectum tegulis, aut rete) fit magna, in qua millia aliquot turdorum ac merularum includere possint. Quidam cum eo adjiciunt præterea aves alias quoque, quæ pingues veneunt care, ut miliariæ ac coturnices. In hoc tectum aquam venire oportet per fistulam, & eam potius per canales angustas serpere, quæ facile extergeri possint; si enim late ibi diffusa aqua, & inquinatur facilius, & bibitur inutilius: & ex eis caduca [quæ abundat,] per fistulam exire, ne luto aves laborent. Ostium habere humile, & angustum, & potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua tauri pugnare solent. Fenestras raras, per quas non videantur extrinsecus arbores, aut aves; quod earum aspectus ac desiderium macrescere facit volucres inclusas. Tantum luminis habere oportet, ut aves videre possint ubi assidant, ubi

cibus, ubi aqua sit. Tectorio tacta esse levi circum ostia, ac fenestras, ne aqua intrare, mus, aliave quæ bestia possit. Circum hujus ædificii parietes intrinsecus multos esse palos, ubi aves assidere possint; præterea e perticis inclinatis ex humo ad parietem, & in eis transversis gradatim modicis intervallis perticis annexis, [ad] speciem cancellorum scenicorum ac theatri. deorsum in terram esse aquam, quam bibere possint; cibatui offas positas. eæ maxime glomerantur ex ficis, & farre mixto. Diebus viginti antequam quis tollere vult turdos, largius dat cibum, quod plus ponit, & farre subtiliore incipit alere. In hoc tecto caveaque tabulata habeant aliquot ad perticæ supplementum. Contra hoc aviarium est aliud minus, in quo, quæ mortuæ ibi sunt aves, ut domino numerum reddat, curator servare solet. Cum opus sunt, ex hoc aviario ut sumantur idoneæ, excluduntur in minusculum aviarium, quod est conjunctum cum majore ostio, lumine illustriore, quod seclusorium appellant. Ibi cum eum numerum habet exclusum, quem sumere vult, omnes occidit. Hoc ideo in secluso clam, ne reliqui, si videant, despondeant animum, atque alieno tempore venditoris moriantur. [Non ut advenæ volucres pullos faciunt, in agro ciconiæ, in tecto hirundines, sic aut hic aut illic turdi, qui cùm sunt nomine mares, re vera feminæ quoque sunt: neque id non secutum ut esset in merulis, quæ nomine feminino mares quoque sint. Præterea volucres cum partim advenæ sint, ut hirundines & grues; partim vernaculæ, ut gallinæ ac columbæ:

de illo genere ſunt turdi adventicio, ac quotannis in Italiam trans mare advolant circiter æquinoctium auctumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures, ac coturnices immani numero. hoc ita fieri apparet in inſulis propinquis Pontiis, Palmariæ, Pandatariæ. Ibi enim in prima volatura cum veniunt, morantur dies paucos requieſcendi cauſa. Idemque faciunt, cum ex Italia trans mare remeant.] APPIUS *Axio*, Si quinque millia huc conjeceris, inquit, & erit epulum ac triumphus, ſexaginta millia quæ vis, ſtatim in fœnus des licebit. Tum *mihi*, Tu dic illud alterum genus ornithonis, qui animi cauſa conſtitutus a te ſub Caſino fertur, in quo diceris longe viciſſe non modo archetypon inventoris noſtri ὀρνιθοτροφείων M. Lænii Strabonis, qui Brundiſii hoſpes noſter primus in periſtylo habuit exedra concluſas aves, quas paſceret objecto rete, ſed etiam in Tuſculano magno ædificio Luculli. Cui *ego*, Cum habeam ſub oppido Caſino flumen, quod per villam fluat liquidum & altum, marginibus lapideis, latum pedes LVII, & e villa in villam pontibus tranſeatur, longum P. DCCCCL, directum ab inſula [ad Muſeum,] quæ eſt ab imo fluvio, ubi confluit altera amnis ad ſummum flumen, ubi eſt Muſeum. Circum hujus ripas ambulatio ſub dio, pedes lata denos. Ab hac ambulatione in agrum verſus, ornithonis locus ex duabus partibus dextra & ſiniſtra maceriis altis concluſus. Inter quas locus, qui eſt ornithonis, patet in latitudinem P. XLVIII, deformatus ad tabulæ literariæ ſpeciem cum capitulo. Forma qua eſt qua-

drata, patet in longitudinem P. LXXII; qua ad capitulum rotundus est, P. XXVII. Ad hæc, ita ut in margine quasi infimo tabulæ descripta sit ambulatio, ab ornithone plumula, in qua media sunt caveæ, qua introrsus iter in aream est. In limine, in lateribus dextra & sinistra porticus sunt primoribus columnis lapideis, intermediis arbusculis humilibus, ordinatæ, cum a summa macerie ad epistylium tecta porticus sit rete cannabina, & ab epistylio ad stylobaten. hæ sunt avibus omne genus oppletæ, quibus cibus ministratur per retem, & aqua rivulo tenui affluit. Secundum stylobatis interiorem partem, dextra & sinistra, ad summam aream quadratam, e medio diversæ duæ non latæ, sed oblongæ sunt piscinæ ad porticus versus. Inter eas piscinas tantummodo accessus semita in tholum, qui est ultra rotundus columnatus, ut est in æde Catuli, si pro parietibus feceris columnas. Extra eas columnas est silva manu sata, grandibus arboribus tecta, ut infima perluceat, tota sæpta maceriis altis. Intra tholi columnas exteriores lapideas, & totidem interiores ex abiete tenues, locus est P. V latus. Inter columnas exteriores pro pariete reticuli e nervis sunt, ut perspici in silva possit, & quæ ibi sunt, neque avis eas transire. Intra interiores columnas pro pariete rete aviarium est objectum. Inter has, & exteriores gradatim substructum ut θεατρίδιον avium. mutuli crebri omnibus columnis impositi, sedilia avium. Intra retem aves sunt omne genus, maxime cantrices, ut lusciniolæ ac merulæ, quibus aqua ministratur per canaliculam, cibus objicitur

ſub retem. Subter columnarum ſtylobatem eſt lapis a ſalere pedem & dodrantem alta: ipſum ſalere ad duo pedes altum a ſtagno, latum ad quinque, ut in culcitas & columellas convivæ pedibus circumire poſſint. Infimo intra ſalere eſt ſtagnum cum margine pedali, & inſula in medio parva. Circum ſalere & navalia ſunt excavata anatium ſtabula. In inſula eſt columella, in qua intus axis, qui pro menſa ſuſtinet rotam radiatam, ita ut ad extremum, ubi orbile ſolet eſſe acutum, tabula cavata ſit, ut tympanum in latitudinem duo pedes & ſemipedem, in altitudinem palmum. Hæc ab uno puero, qui miniſtrat, ita vertitur, ut omnia una ponantur & ad bibendum, & ad edendum, & admoveantur ad omnes convivas. Ex ſuggeſto ſaleris, ubi ſolent eſſe περιπετάσματα, prodeunt anates in ſtagnum, ac nant, e quo rivus pervenit in duas, quas dixi, piſcinas, ac piſciculi ultro ac citro commeant: cum, & aqua calida & frigida ex orbi ligneo menſaque, quam dixi in primis radiis eſſe, epitoniis verſis ad unumquemque, factum ſit, ut fluat in convivam. Intrinſecus ſub tholo ſtella lucifer interdiu, noctu heſperus, ita circumeunt ad infimum hemiſphærium, ac moventur, ut indicent, quot ſint horæ. In eodem hemiſphærio medio circum cardinem eſt orbis ventorum octo, ut Athenis in horologio, quod fecit Cyrrheſtes. ibique eminens radius a cardine ad orbem ita movetur, ut eum tangat ventum, qui flet, ut intus ſcire poſſis. Cum hæc loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletæ comitiorum una, cum id fieri non miraremur propter ſtudia ſuffragatorum,

& tamen ſcire vellemus, quid eſſet, venit ad nos Pantulæjus Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehenſum teſſerulas conjicientem in loculum, eum ad conſulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo ſurgit, quod ejus candidati cuſtos dicebatur deprehenſus.

VI. Axius, De pavone, inquit, libere licet dicas, quoniam diſceſſit Fircellius, qui ſecus ſi quid diceres de iis, gentilitatis cauſa, fortaſſe an tecum duceret ſerram. Cui Merula, De pavonibus noſtra memoria, inquit, greges haberi cœpti, & venire magno. Ex iis M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia numum in anno dicitur capere. Ii aliquanto pauciores eſſe debent mares, quam feminæ, ſi ad fructum ſpectes; ſi ad delectationem, contra: formoſior enim mas. Pavonum greges agreſtes tranſmarini eſſe dicuntur in inſulis, Sami in luco Junonis, item in Planaſia inſula M. Piſonis. Hi ad greges conſtituendos parantur bona ætate, & bona forma. huic enim natura formæ e volucribus dedit palmam. Ad admiſſuram hæ minores bimæ non idoneæ, nec jam majores natu. Paſcuntur omne genus objecto frumento, maxime ordeo. itaque Sejus iis dat in menſes ſingulos ordei ſingulos modios, ita ut in fœtura det uberius, & antequam ſalire incipiant. Is a procuratore ternos pullos exigit, eoſque, cum creverunt, quinquagenis denariis vendit, ut nulla ovis hunc aſſequatur fructum. Præterea ova emit, ac ſupponit gallinis, ex quibus [ex iis] excuſos pullos refert in teſtudinem eam, in qua pavones habet. quod tectum pro multitudine pavonum

ſieri debet, & habere cubilia diſcreta, tectorio levata, quo neque ſerpens, neque beſtia accedere ulla poſſit. Præterea habere locum ante ſe, quo paſtum exeant diebus apricis. Utrumque locum purum eſſe volunt hæ volucres. itaque paſtorem earum cum batillo circumire oportet, ac ſtercus tollere, ac conſervare; quod & ad agriculturam idoneum eſt, & ad ſubſtramen pullorum. Primus hos Q. Hortenſius augurali adjiciali cœna poſuiſſe dicitur. quod potius factum tum luxurioſi, quam ſeveri boni viri laudabant. quem cito ſecuti multi extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis, ipſi facile quadragenis, grex centenarius facile quadragena millia ſextertia ut reddat, ut quidem Albutius ajebat, ſi in ſingulos ternos exigeret pullos, perfici ſexagena poſſe.

VII. Interea venit apparitor Appii a conſule, & augures ait citari. Ille foras exit e villa. At in villam intro involant columbæ. de quibus MERULA Axio, Si unquam περιστεροτροφεῖον conſtituiſſes, has tuas eſſe putares, quamvis feræ eſſent. Duo enim genera earum in περιστεροτροφείῳ eſſe ſolent. Unum agreſte, ut alii dicunt, ſaxatile, quod habetur in turribus ac columinibus villæ, a quo appellatæ columbæ, quæ propter timorem naturalem ſumma loca in tectis captant. quo fit, ut agreſtes maxime ſequantur turres, in quas ex agro evolant ſuapte ſponte, ac remeant. Alterum genus illud columbarum eſt clementius, quod cibo domeſtico contentum intra limina januæ ſolet paſci. hoc genus maxime eſt colore albo. illud alterum agreſte ſine albo,

vario. Ex his duabus ſtirpibus fit miſcellum tertium genus fructus cauſa, atque incedunt in locum unum, quod alii vocant περιστερεῶνα, alii περιστεροτροφεῖον. in quo uno ſæpe vel quinque millia ſunt incluſæ. Περιστερεὼν fit, ut teſtudo magna, camera tectus, uno oſtio anguſto, feneſtris Punicanis, aut latioribus, reticulatis utrinque, ut locus omnis ſit illuſtris, neve quæ ſerpens, aliudve quid animal maleficum introire queat. Intrinſecus quam leviſſimo marmorato toti parietes ac cameræ oblinuntur, & extrinſecus, circum feneſtras, ne mus aut lacerta qua adrepere ad columbaria poſſit. nihil enim timidius columba. Singulis paribus columbaria fiunt rotunda in ordinem crebra. ordines quam plurimi eſſe poſſunt a terra uſque ad cameram. Columbaria ſingula eſſe oportet, ut os habeant, quo introire & exire poſſit; intus ternorum palmorum ex omnibus partibus. Sub ordines ſingulos tabulæ fictæ ut ſint bipalmes, quo utantur veſtibulo, ac prodeant. Aquam eſſe oportet, quo influat, unde & bibere, & ubi lavari poſſint. permundæ enim ſunt hæ volucres. Itaque paſtorem columbarium quotquot menſibus crebro oportet everrere. eſt enim, quod eum inquinat locum, appoſitum ad agriculturam, ita ut hoc optimum eſſe ſcripſerint aliquot. ſive quæ columba quid offenderit, ut medeatur. ſi qua perierit, ut efferatur. ſi qui pulli idonei ſunt ad vendendum, promat. Item quæ fœtæ ſunt, in certum locum ut diſcluſum ab aliis rete habeant, quo transferantur, e quo foras evocare poſſint matres. Quod faciunt duabus de cauſis. una, ſi faſtidiunt, aut incluſæ con-

ſeneſcunt, quo libero aere cum exierint in agros, redintegrentur. altera de cauſa propter illicium. ipſæ enim propter pullos, quos habent, utique redeunt, niſi a corvo occiſæ, aut ab accipitre interceptæ. Quos columbarii interficere ſolent, duabus virgis viſcatis defixis in terram, inter ſe curvatis, cum inter eas poſuerint obligatum animal, quod item petere ſoleant accipitres, qui ita decipiuntur, cum ſe obleverunt viſco. Columbas redire ſolere ad locum licet animadvertere, quod multi in theatro e ſinu miſſas faciunt, [atque ad locum redeunt:] quæ niſi reverterentur, non emitterentur. Cibus apponitur circum parietes in canalibus, quas extrinſecus per fiſtulas ſupplent. Delectantur milio, tritico, ordeo, piſo, faſeolis, ervo. Item feras has in turribus, ac ſummis villis, qui habent, agreſtes columbas, quoad poſſunt immittendum in περιστερῶνας ætate bona. parandum neque pullos, neque vetulas, totidem mares quot feminas. Nihil columbis fœcundius. itaque diebus quadragenis concipit, & parit, & incubat, & educat. Et hoc fere totum annum faciunt: tantummodo intervallum faciunt a bruma ad æquinoctium vernum. Pulli naſcuntur bini, qui ſimulac creverunt, & habent robur, cum matribus pariunt. Qui ſolent ſaginare pullos columbinos, quo pluris vendant, ſecludunt eos, cum jam pluma ſunt tecti. deinde manducato candido farciunt pane: hieme hoc bis, æſtate ter, mane, meridie, veſperi. hieme demunt cibum medium. Qui jam pinnas incipiunt habere, relinquunt in nido illiſis cruribus, & matribus, uberius ut cibo uti poſſint, ob-

jiciunt. eo enim totum diem se, & pullos pascunt. qui ita educantur, celerius pinguiores fiunt, quam alii, & candidiores. Parentes eorum Romæ, si sunt formosi, bono colore, integri, boni seminis, paria singula vulgo veneunt ducenis numis, nec non eximia singulis millibus numum, quas nuper cum mercator tanti emere vellet a L. Axio, equite Rom. minoris quadringentis denariis daturum negavit. AXIUS, Si possem emere, inquit, περιστερῶνα factum, quemadmodum in ædibus cum habere vellem, emi fictilia columbaria, jam iissem emtum, & misissem ad villam. Quasi vero, inquit PICA, non in urbe quoque sint multi. An tibi columbaria qui in tegulis habent, non videntur habere περιστερῶνας, cum aliquot supra centum millium sextertium habeant instrumentum? e queis alicujus totum emas censeo, & antequam ædificas rure, magnum condiscas hic in urbe quotidie lucrum, assem semissem condere in loculos.

VIII. Tum MERULA, Perge deinceps. *Ille*, Turturibus item, inquit, locum constituendum proinde magnum, ac multitudinem alere velis; eumque item, ut de columbis dictum est, ut habeat ostium ac fenestras, & aquam puram, ac parietes, ac cameras munitas tectorio. Sed pro columbariis in pariete mutulos, aut palos in ordinem, supra quos tegeticulæ cannabinæ sint impositæ. Infimum ordinem oportet abesse a terra non minus tres pedes, inter reliquos dodrantes, a summo ad cameram ad semipedem, æque latum ac mutulus a pariete exstare potest, in quibus dies noctesque pascuntur. Ci-

batui quod ſit, objiciunt triticum ſiccum in centenos vicenos turtures fere ſemodium, quotidie everrentes eorum ſtabula, a ſtercore ne offendantur, quod item ſervatur ad agrum colendum. Ad ſaginandum appoſitiſſimum tempus circiter meſſem. Etenim matres eorum tunc optimæ ſunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. Itaque eorum fructus id temporis maxime conſiſtit.

IX. Axius, Ego quæ requiro ſarſuræ aſſuræ membra de palumbis, de gallinis dic ſodes, *Merula*: tum de reliquis, ſi quid idoneum fuerit, racemari licebit. Igitur ſunt gallinæ, quæ vocantur, generum trium, villaticæ, & ruſticæ, & Africanæ. Gallinæ villaticæ ſunt, quas deinceps rure habent in villis. De his qui ὀρνιθοβοσκεῖον inſtituere volunt, iidem adhibita ſcientia ac cura, ut capiant magnos fructus (ut maxime factitaverunt Deliaci) hæc quinque maxime animadvertant oportet: de emtione, cujuſmodi, & quam multas parent; de fœtura, quemadmodum admittant, & pariant; de ovis, quemadmodum incubent, & excudant; de pullis, quemadmodum & a quibus educentur. Hiſce appendix adjicitur, pars quinta, quemadmodum ſaginentur. E queis tribus generibus proprio nomine vocantur feminæ, quæ ſunt villaticæ, gallinæ; mares galli; capi ſemimares, quod ſunt caſtrati. Gallos caſtrant, ut ſint capi, candenti ferro inurentes ad infima crura, uſque dum rumpatur. at quod exſtat ulcus, oblinunt figlina creta. Qui ſpectat, ut ὀρνιθοβοσκεῖον perfectum habeat, ſint licet genera ei tria paranda, maxime villaticas gallinas. e queis in pa-

rando eligat oportet fœcundas, plerumque rubicunda pluma, nigris pinnis, imparibus digitis, magnis capitibus, crista erecta, ampla. hæ enim ad partiones sunt aptiores. Gallos salaces; qui animadvertunt, si sunt lacertosi, rubenti crista, rostro brevi, pleno, acuto, oculis ravis, aut nigris, palea rubra subalbicanti, collo vario, aut aureolo, feminibus pilosis, cruribus brevibus, unguibus longis, caudis magnis, frequentibus pinnis. Item qui elati sunt, ac vociferant sæpe, in certamine pertinaces, & qui animalia, quæ nocent gallinis, non modo non pertimescant, sed etiam pro gallinis propugnent. Nec tamen sequendum in seminio legendo Tanagricos, ac Medicos, & Chalcidicos, qui sine dubio sunt pulchri, & ad prœliandum inter se maxime idonei, sed ad partus sunt steriliores. Si ducentas alere velis, locus sæptus attribuendus, in quo duæ caveæ conjunctæ magnæ constituendæ, quæ spectent ad exorientem versus, utræque in longitudinem circiter decem pedes, latitudine dimidiò minores, [quam in] altitudine paulo humiliores. utraque fenestra lata tripedali, & eo pede altiores e viminibus factæ raris, ita ut lumen præbeant multum, neque per eas quidquam ire intro possit, quæ nocere solent gallinis. Inter duas ostium sit, qua gallinarius, curator earum, ire possit. In caveis crebræ perticæ trajectæ sint, ut omnes sustinere possint gallinas. Contra singulas perticas in pariete exsculpta sint cubilia earum. ante sit, ut dixi, vestibulum sæptum, in quo diurno tempore esse possint, atque in pulvere volutari. Præterea sit

cella grandis, in qua curator habitet, ita ut in parietibus circum omnia plena ſint cubilia gallinarum, aut exſculpta, aut affiſta firmiter. motus enim, cum incubant, nocet. In cubilibus, cum parturient, acus ſubſternendum. cum pepererunt, tollere ſubſtramen, & recens aliud ſubjicere, quod pulices & cetera naſci ſolent, quæ gallinam conquieſcere non patiuntur; ob quam rem ova aut inæquabiliter matureſcunt, aut conſeneſcunt. Quæ velis incubet, negant plus XXV oportere ova incubare, quamvis propter fœcunditatem pepererit plura. Optimum eſſe partum æquinoctio verno, ad auctumnale. Itaque quæ ante aut poſt nata ſunt, & etiam prima eo tempore, non ſupponenda: & ea, quæ ſubjiciat, potius vetulis, quam pullaſtris, & quæ roſtra aut ungues non habeant acutos, quæ debent potius in concipiendo occupatæ eſſe, quam incubando. Appoſitiſſimæ ad partum ſunt anniculæ, aut bimæ. Si ova gallinis pavonina ſubjicies, cum jam decem dies pavonina fovere cœpit, tum denique gallinacea ſubjicere, ut una excudant. Gallinaceis enim pullis bis deni dies opus ſunt, pavoninis ter noveni. Eas includere oportet, ut diem & noctem incubent, præter quam a mane & veſpere, dum cibus ac potio his detur. Curator oportet circumeat diebus interpoſitis aliquot, ac vertere ova, uti æquabiliter concalefiant. Ova plena ſint, atque utilia, necne? animadverti ajunt poſſe, ſi demiſeris in aquam. quod inane, natat; plenum, deſidit. Qui (ut hoc intelligant) concutiant, errare, quod in eis vitales venas confundant. In iis idem ajunt, cum

ad lumen sustuleris, quod perluceat, id esse ob inane. Qui hæc volunt diutius servare, perfricant sale minuto, aut muria, tres aut quatuor horas; eaque abluta condunt in furfures, aut acus. In supponendo ova observant, ut sint numerō imparia. Ova, quæ incubantur, habeantne semen pulli, curator quatriduo, postquam incubari cœpit, intelligere potest, si contra lumen tenuit, & purum uniusmodi esse animadvertit, putant ejiciendum, & aliud subjiciendum. Excusos pullos subducendum ex singulis nidis, & subjiciendum ei, quæ habeat paucos. ab eaque, si reliqua sint ova pauciora, tollenda, & subjicienda aliis, quæ nondum excuderunt, & minus habent XXX pullos. hoc enim gregem majorem non faciendum. Objiciendum pullis diebus XV primis mane subjecto pulvere (ne rostris noceat terra dura) polentam mixtam cum nasturtii semine, & aqua aliquanto ante facta intrita, ne tum denique in eorum corpore turgescat. aqua prohibendum. Quando de clunibus cœperint habere pinnas, e capite & e collo eorum crebro eligendi pedes. sæpe enim propter eos consenescunt. Circum caveas eorum incendendum cornum cervinum, ne quæ serpens accedat: quarum bestiarum ex odore solent interire. Prodigendi in solem & in sterquilinium, ut [se] volutare possint, quod ita alibiliores fiunt. neque pullos tantum, sed omne ὀρνιθοβοσκεῖον, cum æstate, tum utique cum tempestas sit mollis, atque apricum; intento supra rete, quod prohibeat eas extra sæpta evolare, & in eas involare extrinsecus accipitrem, aut quid aliud;

evitantem caldorem & frigus, quod utrumque his adversum. Cum jam pinnas habebunt, consuefaciendum, ut unam, ut duas sectentur gallinas, ceteræ ut potius ad pariendum sint expeditæ, quam in nutricatu occupatæ. Incubare oportet incipere secundum novam lunam, quod fere quæ ante, pleraque non succedunt. Diebus fere xx excudunt. De quibus villaticis (quoniam vel nimium dictum) brevitate reliqua compensabo. Gallinæ rusticæ sunt in urbe raræ, nec fere mansuetæ sine cavea videntur Romæ, similes facie non his villaticis gallinis nostris, sed Africanis, aspectu ac facie incontaminata. In ornatibus publicis solent poni cum psittacis, ac merulis albis, item aliis id genus rebus inusitatis. Neque fere in villis ova, ac pullos faciunt, sed in silvis. Ab his gallinis dicitur insula Gallinaria appellata, quæ est in mari Thusco secundum Italiam contra montes Ligusticos, Intemelium, Albium Ingaunum. alii ab his villaticis invectis a nautis, ibi feris factis procreatis. Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas μελεαγρίδας appellant Græci. Hæ novissimæ in triclinium ganearium introierunt e culina, propter fastidium hominum. Veneunt propter penuriam magno. De tribus generibus, gallinæ saginantur maxime villaticæ. eas includunt in locum tepidum, & angustum, & tenebricosum, (quod motus earum & lux pinguitudini inimica) ad hanc rem electis maximis gallinis, nec continuo his, quas Melicas appellant falso, quod antiqui ut Thetin Thelim dicebant, sic Medicam Melicam vocabant. Hæ primo dicebantur, quia ex

Media propter magnitudinem erant allatæ, quæque ex iis generatæ poſtea propter ſimilitudinem. Amplas omnes ex iis, evulſis ex alis pinnis & e cauda farciunt turundis ordeaceis, partim admixtis ex farina loliacea, aut ſemine lini ex aqua dulci. Bis die cibum dant, obſervantes ex quibuſdam ſignis, ut prior ſit concoctus, quam ſecundum dent. Dato cibo, cum perpurgarunt caput, ne quos habeant pedes, rurſus eas concludunt. Hoc faciunt uſque ad dies XXV. tunc denique pingues fiunt. Quidam ex triticeo pane intrito in aquam, mixto vino bono & odorato, farciunt, ita ut diebus XX pingues reddant ac teneras. Si in farciendo nimio cibo faſtidiunt, remittendum in datione, pro portione, ac decem primis proceſſit, in poſterioribus, ut diminuat eadem ratione, ut viceſimus dies & primus ſit par. Eodem modo palumbes farciunt, ac reddunt pingues.

X. Tranſi, inquit AXIUS, nunc in illud genus, quod vos philogræci vocatis ἀμφίβιον, quod non eſt ulla villa ac terra contentum, ſed requirit piſcinas, in quibus ubi anſeres aluntur, nomine χηνοβοσκεῖον appellatis. Horum greges Scipio Metellus & M. Sejus habent magnos aliquot. MERULA, Sejus, inquit, ita greges comparavit anſerum, ut hos quinque gradus obſervaret, quos in gallinis dixi. Hi ſunt de genere, de fœtura, de ovis, de pullis, de ſagina. Primum jubebat ſervum in legendo obſervare, ut eſſent ampli & albi : quod plerumque pullos ſimiles ſui faciunt.. Eſt enim alterum genus varium, quod ferum vocatur, nec cum iis libenter congregatur,

nec æque ſit manſuetum. Anſeribus admittendis tempus eſt aptiſſimum a bruma: ad pariendum & incubandum a Kalend. Martii uſque ad ſolſtitium. Saliunt fere in aqua, inungentur in flumen, aut piſcinam. Singulæ non plus quater in anno pariunt. Singulis, ubi pariant, faciundum haras quadratas circum binos pedes, & ſemipedem. eas ſubſternendum palea. Notandum earum ova aliquo ſigno, quod aliena non excudunt. Ad incubandum ſupponunt plerumque IX aut XI. qui hoc minus, VII: qui hoc plus, XV. Incubat tempeſtatibus dies XXX, tepidioribus XXV. Cum excudit, quinque diebus primis patiuntur eſſe cum matre. deinde quotidie ſerenum cum eſt, producunt in prata, item piſcinas, aut paludes: iiſque faciunt haras ſupra terram aut ſubtus; in queis non includant plus vicenos pullos. eaſque cellas provident, ne habeant in ſolo humorem, & ut molle habeant ſubſtramen e palea, aliave qua re, neve qua eo accedere poſſint muſtelæ, aliæve beſtiæ, quæ noceant. Anſeres paſcunt in humidis locis, ubi pabulum ſerunt, quod aliquem fructum ferat, ſeruntque his herbam, quæ vocatur ſeris, quod ea aqua tacta etiam cum eſt arida, fit viridis. Folia ejus decerpentes dant, ne ſi eo inegerint, ubi naſcitur, aut obterendo perdant, ut ipſi cruditate pereant. voraces enim ſunt natura. quo temperandum iis, qui propter cupiditatem ſæpe in paſcendo, ſi radicem prenderunt, quam educere velint e terra, abrumpunt collum. perimbecillum enim id, ut caput molle. Si hæc herba non eſt, dandum ordeum, aut frumentum aliud. Cum eſt tempus farra-

ginis, dandum ut in feri dixi. Cum incubant, ordeum iis intritum in aqua apponendum. Pullis primum biduo polenta, aut ordeum apponitur, tribus proximis nafturtium viride confectum minutatim ex aqua in vas aliquod. Cum autem funt inclufi in haras aut fpeluncas, ut dixi, victui objiciunt his polentam ordeaceam, aut farraginem, herbamve teneram aliquam concifam. Ad faginandum eligunt pullos circiter fexquimenfe qui funt natu: eos includunt in faginario, ibique polentam & pollinem aqua madefacta dant cibum, ita ut per dies faturent. fecundum cibum large ut bibant faciunt poteftatem. fic curati circiter duobus menfibus fiunt pingues. Quotiefcunque fumferunt, locus folet purgari: quod ipfi ament locum purum, neque ipfi ullum, ubi fuerint, relinquunt purum.

XI. Qui autem volunt greges anatium habere, ac conftituere νησσοτροφεῖον, primum locum, cui eft facultas, eligere oportet paluftrem, quod eo maxime delectantur. fi id non, potiffimum ibi, ubi fit naturalis aut lacus, aut ftagnum, aut manufacta pifcina, quo gradatim defcendere poffint. Sæptum altum effe oportet, ubi verfentur, ad pedes XV, ut vidiftis ad villam Sei, quod uno oftio claudatur. circum totum parietem intrinfecus crepido lata, in qua fecundum parietem fint tecta cubilia: ante eas veftibulum earum exæquatum tectorio opere teftaceo. In eo perpetua canalis, in quam & cibus ponitur iis, & immittitur aqua. fic enim cibum capiunt. Omnes parietes tectorio levigantur, ne fæles, aliave quæ beftia introire ad nocendum pof-

ſit, idque ſæptum totum rete grandibus maculis integitur, ne eo involare aquila poſſit, neve ex ea evolare anas. Pabulum iis datur triticum, ordeum, vinacei, uvæ. nonnunquam etiam ex aqua cammari, & quædam ejuſmodi aquatilia. Quæ in eo ſæpto erunt piſcinæ, in eas aquam large influere oportet, ut ſemper recens ſit. Sunt item non diſſimilia alia genera, ut querquedulæ, phalarides. ſic perdices, quæ, ut Archelaus ſcribit, voce maris audita, concipiunt. quæ, ut ſuperiores, neque propter fœcunditatem, neque propter ſuavitatem ſaginantur, ſed ſic paſcendo ſiunt pingues. Quod ad villaticarum paſtionum primum actum pertinere ſum ratus, dixi.

XII. Interea redit Appius, & percontati nos ab illo, & ille a nobis, quid eſſet dictum ac factum, APPIUS, Sequitur, inquit, actus ſecundi generis, affiticius ad villam qui ſolet eſſe, ac nomine antiquo a parte quadam leporarium appellatum. Nam neque ſolum lepores eo includuntur ſilva, ut olim in jugero agelli, aut duobus, ſed etiam cervi, aut capreæ in jugeribus multis. Q. Fulvius Lippinus dicitur habere in Tarquinienſi ſæpta jugera XL, in quo ſunt incluſa non ſolum ea, quæ dixi, ſed etiam oves feræ, etiam hoc majus hic in Statonenſi, & quidam in locis aliis. In Gallia vero tranſalpina T. Pompejus tantum ſæptum venationis, ut circiter ∞ ∞ ∞ ∞ paſſuum locum incluſum habeat. Præterea in eodem conſæpto fere habere ſolent [de animalibus] coclearia, atque alvearia, atque etiam dolia, ubi habeant concluſos glires. Sed horum

omnium custodia, incrementum, & pastio aperta; præterquam de apibus. Quis enim ignorat, sæpta e maceriis ita esse oportere in leporario, ut tectorio tacta sint, & sint alta? alterum ne fælis, aut mælis, aliave quæ bestia introire possit, alterum ne lupus transilire: ibique esse latebras, ubi lepores interdiu delitescant in virgultis, atque herbis: & arbores patulis ramis, quæ aquilæ impediant conatus. Quis item nescit, paucos si lepores, mares ut feminas, intromiserit, brevi tempore fore ut impleatur? tanta fœcunditas hujus quadrupedis. Quatuor modo enim intromisit in leporarium, brevi solet repleri. Fit enim sæpe, cum habent catulos recentes, alios ut in ventre habere reperiantur. Itaque de his Archelaus scribit, annorum quot sint si quis velit scire, inspicere oportet foramina naturæ, quæ sine dubio alius alio habet plura. Hos quoque nuper institutum ut saginarent pleraque, cum exceptos e leporario concludant in caveis, & loco clauso faciant pingues. Eorum ergo tria genera fere sunt. Unum Italicum hoc nostrum pedibus primis humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, ventre albo, auribus longis. qui lepus dicitur, cum prægnans sit, tamen concipere. In Gallia transalpina, & Macedonia fiunt permagni: in Hispania, & in Italia mediocres. Alterius generis est, quod in Gallia nascitur ad Alpes, qui hoc fere mutant, quod toti candidi sunt. hi raro perferuntur Romam. Tertii generis est, quod in Hispania nascitur, similis nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant. L. Ælius putabat, ab eo dictum leporem, [a celeri-

tudine,] quod levipes esset. Ego arbitror a Græco vocabulo antiquo, quod eum Æoles Bœotii λέποριν appellabant. Cuniculi dicti ab eo, quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, ubi lateant in agris. Horum omnium tria genera, si possis, in leporario habere oportet. duo quidem utique te habere puto, & quod in Hispania annis ita fuisti multis, ut inde te cuniculos persecutos credam.

XIII. Apros quidem posse habere in leporario, nec magno negotio ibi & captivos, & cicures, qui ibi nati sint, pingues solere fieri, scis, *inquam*, Axi. Nam quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Pupio Pisone, vidisti ad bucinam inflatam certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum, cum e superiore loco e palæstra apris effunderetur glans, capreis vicia, aut quid aliud. Ego vero, *inquit ille*, apud Q. Hortensium cum in agro Laurenti essem, ibi istuc magis τραγικῶς fieri vidi. Nam silva erat, ut dicebat, supra quinquaginta jugerum maceria sæpta, quod non leporarium, sed θηριοτροφεῖον appellabat. Ibi erat locus excelsus, ubi triclinio posito cœnabamus. Quintus Orphea vocari jussit. qui cum eo venisset cum stola, & cithara, & cantare esset jussus, buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum, & ceterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit spectaculum, quam in circo maximo ædilium, sine Africanis bestiis cum fiunt venationes.

XIV. Axius, Tuas partes, inquit, sublevavit Appius, o Merula noster. Quod ad venationem pertinet, breviter secundus transactus est actus. Nec

de cocleis ac gliribus quæro, quod reliquum eſt: neque enim magnum emolumentum eſſe poteſt. Non iſtuc tam ſimplex eſt, inquit APPIUS, quam tu putas, o Axi noſter. nam & idoneus ſub dio ſumendus locus coleariis, quem circum totum aqua claudas, ne quas ibi poſueris ad partum, non liberos earum, ſed ipſas quæras. Aqua, *inquam*, finiendæ, ne fugitivarius ſit parandus. Locus is melior, quem & non coquit ſol, & tangit ros. Qui ſi naturalis non eſt, (ut fere non ſunt in aprico loco) neque habeas in opaco, ut facias, ut ſunt ſub rupibus ac montibus, quorum alluant radices lacus ac fluvii, manu facere oportet roſcidum. qui fit, ſi eduxeris fiſtulam, & in eam mammillas impoſueris tenues, quæ eructent aquam, ita ut in aliquem lapidem incidat, ac late diſſipetur. Parvus iis cibus opus eſt, & is ſine miniſtratore. Et hunc, dum ſerpit, non ſolum in area reperit, ſed etiam, ſi rivus non prohibet, in parietes ſtantes invenit. Denique ipſæ exgruminantes ad propalam vitam diu producunt, cum ad eam rem pauca laurea folia interjiciant, & aſpergant furfures non multos. Itaque coquus has vivas an mortuas coquat, plerumque neſcit. Genera coclearum ſunt plura, ut minutæ albulæ, quæ afferuntur e Reatino, & maxime, quæ de Illyrico apportantur; & mediocres, quæ ex Africa afferuntur. Non quo non in his regionibus quibuſdam locis, eæ magnitudinibus [non] ſint diſpariles: nam & valde amplæ ſunt, quamquam ex Africa, quæ vocantur ſolitannæ, ita ut in eas LXXX quadrantes conjici poſſint, & ſic in aliis regionibus eædem inter ſe collatæ & minores

ſunt, ac majores. Hæ in fœtura pariunt innumerabilia. Earum ſemen minutum, ac teſta molli, diuturnitate obdureſcit. Magnis inſulis in areis factis, magnum bolum deferunt æris. Has quoque ſaginare ſolent ita, ut ollam cum foraminibus incruſtent ſapa & farre, ubi paſcantur, quæ foramina habeat, ut intrare aer poſſit. Vivax enim hæc natura.

XV. Glirarium autem diſſimili ratione habetur, quod non aqua, ſed maceria locus ſæpitur. Tota levi lapide, aut tectorio intrinſecus incruſtatur, ne ex ea erepere poſſit. In eo arbuſculas eſſe oportet, quæ ferunt glandem. quæ, cum fructum non ferunt, intra maceriam jacere oportet glandem & caſtaneam, unde ſaturi fiant. Facere his cavos oportet laxiores, ubi pullos parere poſſint. aquam eſſe tenuem, quod ea non utuntur multum, & aridum locum quærunt. Hi ſaginantur in doliis, quæ etiam in villis habent multi, quæ figuli faciunt, multo aliter atque alia; quod in lateribus eorum ſemitas faciunt, & cavum, ubi cibum conſtituant. In hoc dolium addunt glandem, aut nuces juglandes, aut caſtaneam. Quibus in tenebris, cum cumulatim poſitum eſt in doliis, fiunt pingues.

XVI. Appius igitur, Relinquitur, inquit, de paſtione villatica tertius actus de piſcinis. Quid tertius? inquit Axius. An quia tu ſolitus es in adoleſcentia tua domi mulſum non bibere propter parſimoniam, nos mel negligemus? Appius, Nobis verum dicit, inquit. Nam cum pauper cum duobus fratribus & duabus ſororibus eſſem relictus; [qua-

rum] alteram ſine dote dedi Lucullo, a quo hereditate me ceſſa primum, & primus mulſum domi meæ bibere cœpi ipſe, cum interea nihilo minus pæne quotidie in convivio omnibus darem mulſum. Præterea meum erat, non tuum, eas noviſſe volucres, quibus plurimum natura ingenii atque artis tribuit: itaque eas melius me noſſe, quam te, ut ſcias, de incredibili earum avium natura audi. MERULA, ut cetera fecit, ἱστορικῶς, quæ ſequi melitturgi ſoleant, demonſtrabit. Primum apes naſcuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait, eas eſſe — βοὸς φθιμένης πεποτημένα τέκνα. Idem: Ἵππων μὲν σφῆκες γενεὰ, μόσχων δὲ μέλισσαι. Hæ apes non ſunt ſolitaria natura, ut aquilæ, ſed ut homines. Quod ſi hoc faciunt etiam graculi, at non idem: quod hic ſocietas operis & ædificiorum, quod illic non eſt. Hic ratio atque ars, ab his opus facere diſcunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus: neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus: non in favo ſex angulis cella; totidem, quot habet ipſa pedes? (quod geometræ ἑξάγωνον fieri in orbe rotundo oſtendunt, ut plurimum loci includatur.) Foris paſcuntur, intus opus faciunt: quod, dulciſſimum quod eſt, & Diis & hominibus eſt acceptum: quod favus venit in altaria, & mel ad principia convivii, & in ſecundam menſam adminiſtratur. Hæ ut hominum civitates, quod hic eſt & rex, & imperium, & ſocietas, quod ſequuntur omnia pura. itaque nulla harum aſſidit in

loco inquinato, aut eo, qui male oleat, neque etiam in eo, qui bona olet unguenta. itaque his unctus qui accessit, pungunt. non ut muscæ ligurriunt, quod nemo has videt (ut illas) in carne, aut sanguine, aut adipe. ideo modo considunt, in quo est sapor dulcis. Minime malefica, quod nullius opus vellicans facit deterius: neque ignava, ut non, qui ejus opus conetur disturbare, resistat. Neque tamen nescia suæ imbecillitatis; quæ cum causa musarum esse dicantur volucres, quod &, si quando displicatæ sunt, cymbalis & plausibus numero reducunt in locum unum. Et ut his Diis Helicona atque Olympon attribuerunt homines, sic his floridos & incultos natura attribuit montes. Regem suum sequuntur, quocunque it, & fessum sublevant; &, si nequit volare, succollant, quod eum servare volunt. Neque ipsæ sunt inficientes, nec non oderunt inertes. itaque insectantes a se ejiciunt fucos, quod hi neque adjuvant, & mel consumunt: quos vocificantes plures persequuntur etiam paucæ. Extra ostium alvei obturant omnia, qua venit inter favos spiritus, quam ἐριθάκην appellant Græci. Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, & ut colonias mittunt. Hique duces conficiunt quædam ad vocem ut imitatione tubæ. tum id faciunt, cum inter se signa pacis ac belli habeant. Sed, o Merula, Axius noster ne, dum hæc audit, physicam addiscat, quod de fructu nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado. MERULA, De fructu, inquit, hoc dico, quod fortasse an tibi satis sit, *Axi*, in quo

auctorem habeo non solum, qui alvearia sua locata habet quotannis quinis millibus pondo mellis, sed etiam hunc Varronem nostrum, quem audivi dicentem, duo milites se habuisse in Hispania fratres Vejanios ex agro Falisco locupletes, quibus cum a patre relicta esset parva villa, & agellus non sane major jugero uno, hos circum villam totam alvearium fecisse, & hortum habuisse, ac reliquum thymo & cytiso obsevisse, & apiastro, quod alii μελίφυλλον, alii μελισσόφυλλον, quidam μέλινον appellant. Hos nunquam minus, ut peræque ducerent, dena millia sextertia ex melle recipere esse solitos. tum eos & velle exspectare, ut suo potius tempore mercatorem admitterent, quam celerius alieno. Dic igitur, *inquit*, ubi & cujusmodi me facere oporteat alvearium, ut magnos capiam fructus. *Ille*, μελιττῶνας ita facere oportet, quos alii μελιτροφεῖα appellant, eandem rem quidam mellaria. Primum secundum villam, potissimum ubi non resonent imagines. hic enim sonus harum fugæ [causa] existimatur esse. Procerum esse oportet aere temperato, neque æstate fervido, neque hieme non aprico, ut spectet potissimum ad hibernos ortus, quæ prope se loca habeat ea, ubi pabulum sit frequens & aqua pura. Si pabulum naturale non est, ea oportet dominum serere, quæ maxime sequuntur apes. ea sunt, rosa, serpyllum, apiastrum, papaver, faba, lens, pisum, ocimum, cyperum, Medica, & maxime cytisum, quod valentibus utilissimum est. Etenim ab æquinoctio verno florere incipit, & permanet ad alterum æquinoctium auctumni. Sed ut hoc aptis-

simum ad sanitatem apium, sic ad mellificium thymum. Propter hoc Siculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum & frequens est. Itaque quidam thymum contundunt in pila, & diluunt in aqua tepida: eo conspergunt omnia seminaria consita apium causa. Quod ad locum pertinet, hoc genus potissimum eligendum juxta villam; non quo non in villæ porticu quoque quidam (quo tutius essent) alvearia collocarint. Ubi sint, alii faciunt ex viminibus rotundas, alii e ligno ac corticibus, alii ex arbore cava, alii fictiles, alii etiam ex ferulis quadratas longas circiter pedes ternos, latas pedem, sed ita, uti cum parum sit, qua compleant, eas coangustent, ne in vasto loco & inani despondeant animum. hæc omnia vocant a mellis alimonio, alvos: quas ideo videntur medias facere angustissimas, ut figuram imitentur earum. Vitiles fimo bubulo oblinunt intus, & extra, ne asperitate absterreantur. easque alvos ita collocant in mutulis parietis, ut ne agitentur, neve inter se contingant, cum in ordinem sint positæ. sic intervallo interposito, alterum & tertium ordinem infra faciunt, & ajunt potius hinc demi oportere, quam addi quartum. Media alvo, in qua introeant apes, faciunt foramina parva dextra, ac sinistra. Ad extrema, qua mellarii favum eximere possunt, opercula imponunt alvis. Optimæ fiunt corticeæ, deterrimæ fictiles, quod & frigore hieme, & æstate calore vehementissime hic commoventur. Verno tempore & æstivo fere ter in mense mellarius inspicere debet fumigans leviter eas, & a spurcitiis purgare alvum,

& vermiculos ejicere. Præterea ut animadvertat, ne reguli plures exſiſtant: inutiles enim fiunt propter ſeditiones. &, ut quidam dicunt, tria genera cum ſint ducum in apibus, niger, ruber, varius; ut Menecrates ſcribit duo, niger, & varius: qui ita, melior; ut expediat mellario, cum duo ſint eadem alvo, interficere nigrum, quem ſcit cum altero rege eſſe ſeditioſum, & corrumpere alvum, quod fuget, aut cum multitudine fugetur. De reliquis apibus optima eſt parva, varia, rotunda. Fur, qui vocatur ab aliis fucus, alter eſt, lato ventre. Veſpa, quæ ſimilitudinem habet apis, neque ſocia eſt operis, & nocere ſolet morſu, quam apes a ſe ſecernunt. Eæ differunt inter ſe, quæ feræ, & cicures ſunt. Nunc feras dico, quæ in ſilveſtribus locis paſcitant; cicures, quæ in cultis. Silveſtres minores ſunt magnitudine, & piloſæ, ſed opifices magis. In emendo emtorem videre oportet, valeant, an ſint ægræ. Sanitatis ſigna, ſi ſunt frequentes in examine, & ſi nitidæ; & ſi opus, quod faciunt, eſt æquabile ac leve. Minus valentium ſigna, ſi ſunt piloſæ, & horridæ, ut pulverulentæ, niſi opificii eas urget tempus. tum enim propter laborem aſperantur, ac maceſcunt. Si transferendæ ſunt alvi in alium locum, id facere diligenter oportet, & tempora, quibus id potiſſimum facias, animadvertendum; & loca, quo transferas, idonea providendum. Tempora, ut verno potius, quam hiberno, quod hieme difficulter conſueſcunt, quo ſunt tranſlatæ, manere: itaque fugiunt plerumque. Si e bono loco tranſtuleris eo, ubi idonea pabulatio non eſt, fugitivæ

fiunt. Nec ſi ex alvo in alvum in eodem loco trajicias, negligenter faciendum. ſed ſi tranſituræ ſunt apes ea, apiaſtro perfricanda, quod illicium hoc illis: & favi melliti intus ponendi, a faucibus non longe, ne, cum animadverterint, aut inopiam eſcæ habuiſſe dicantur, aut cum ſunt apes morbidæ propter primores vernos paſtus, qui ex floribus nucis Græcæ & cornu fiunt, cœliacas fieri, atque urina pota refici. De his propolim vocant, e quo faciunt ad foramen introitus protectum in alvum maxime æſtate. Quam rem etiam nomine eodem medici utuntur in emplaſtris. propter quam rem etiam carius in ſacra via, quam mel venit. Erithacen vocant, quo favos extremos inter ſe conglutinant, quod eſt aliud melle, propoli: itaque in hoc vim eſſe illiciendi. quocirca examen ubi volunt conſidere, eum ramum, aliamve quam rem oblinunt hoc, admixto apiaſtro. Favus eſt, quem fingunt multicavatum e cera, cum ſingula cava ſena latera habeant, quot ſingulis pedes dedit natura. Neque quæ afferuntur ad quatuor res faciendas, propolim, erithacen, favum, mel, ex iiſdem omnibus rebus carpere dicuntur. ſimplex, quod e malo punico, & aſparago cibum carpant ſolum, ex olea arbore ceram, e fico mel, ſed non bonum. duplex miniſterium præberi, ut e faba, apiaſtro, cucurbita, braſſica, ceram & cibum. nec non aliter duplex, quod fit e malo & piris ſilveſtribus, cibum & mel. item aliter duplex, quod e papavere ceram & mel. triplex miniſterium quoque fieri, uti ex nuce Græca, & e lapſana cibum, mel, ceram. item

ex aliis floribus ita carpere, ut alia ad ſingulas res ſumant, alia ad plures. nec non etiam aliud diſcrimen ſequantur in carptura, aut eas ſequatur, ut in melle, quod ex alia re faciunt liquidum mel, ut ex ſiſere flore: ex alia contra, ſpiſſum, ut e rore marino. Sic ex alia re, ut e fico mel inſuave, e cytiſo bonum, e thymo optimum. Cibi pars, quod potio, & ea iis aqua liquida; unde bibant eſſe oportet, eamque propinquam, quæ præterfluat, aut in aliquem locum influat, ita ut ne altitudine aſcendat duo aut tres digitos: in qua aqua jaceant teſtæ, aut lapilli, ita ut exſtent paulum, ubi aſſidere & bibere poſſint. In qua diligenter habenda cura, ut aqua ſit pura, quod ad mellificium bonum vehementer prodeſt. Quod non omnis tempeſtas ad paſtum prodire longius patitur, præparandus his cibus, ne tum melle cogantur ſolo vivere, aut relinquere exinanitas alvos. Igitur ficorum pinguium circiter decem pondo decoquunt in aquæ congiis ſex, quas coctas in offas prope apponunt. Alii aquam mulſam in vaſculis prope ut ſit curant. in quæ addunt lanam purpuream, per quam ſugant: uno tempore ne potu nimium impleantur, aut ne incidant in aquam. Singula vaſa ponunt ad alvos ſingulas, & hac ſupplentur. Alii uvam paſſam & ficum, cum pinſerunt, affundunt ſapam, atque ex eo factas offas apponunt ibi, quo foras hieme in pabulum procedere tamen poſſint. Cum examen exiturum eſt, quod fieri ſolet, cum adnatæ proſpere ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebro Sabini factitave-

runt propter multitudinem liberorum; hujus quod duo solent præire signa, scitur. Unum, quod superioribus diebus, maxime vespertinis, multæ ante foramen (ut uvæ) aliæ ex aliis pendent conglobatæ. Alterum, quod cum jam evolaturæ sunt, aut etiam inceperunt, consonant vehementer, proinde ut milites faciunt, cum castra movent. Quæ primo tum exierunt, in conspectu volitant, reliquas, quæ nondum congregatæ sunt, respectantes, dum conveniant. Cum a mellario id fecisse sunt animadversæ, jaciundo in eas pulverem, & circumtinniendo ære, perterritas quo voluerit perducet. Non longe inde oblinunt erithace, atque apiastro, ceterisque rebus, quibus delectantur. Ubi consederunt, afferunt alvum prope eisdem illiciis illitam intus: & prope apposita, fumo leni circumeundo cogunt eas intrare: ut quæ in novam coloniam cum introierunt, permanent adeo libenter, ut etiam si proximam posueris illam alvum, unde exierunt, tamen novo domicilio potius sint contentæ. Quod ad pastiones pertinere sum ratus, quoniam dixi, nunc jam, cujus causa adhibetur ea cura, de fructu dicam. Eximendorum favorum signum sumunt ex ipsis, cum plenas alvos habent, & cum illos geminaverint. ex apibus conjecturam capiunt, si intus faciunt bombum, & cum introeunt, ac foras trepidant, & si opercula alvi cum remota sint, favorum foramina obducta videntur mellis membranis. Cum sint repleti melle, in eximendo quidam dicunt oportere novem partes tollere, decimam relinquere. quod si omne eximas, fore ut discedant. Alii

hoc plus relinquunt, quam dixi. ut in aratis, qui faciunt restibiles segetes, plus tollunt frumenti ex intervallis: sic in alvis, si non quotannis eximas, aut non quoque multum, & magis his assiduas habeas apes, & magis fructuosas. Eximendorum favorum primum putant esse tempus Vergiliarum exortu. secundum æstate acta, antequam totus exoriatur arcturus. tertium post Vergiliarum occasum, & ita si fœcunda sit alvus, ut ne plus tertia pars eximatur mellis, reliquum hiemationi relinquatur. si vero alvus non sit fertilis, ubi quid eximatur, exemtio cum est major, neque universam, neque palam facere oportet, ne deficiant animum. Favi qui eximuntur, si qua pars nihil habet, aut habet inquinatum, cultello præsecatur. Providendum, ne infirmiores a valentioribus opprimantur. eo enim minuitur fructus. Itaque imbecilliores secretas subjiciunt sub alterum regem. Quæ crebrius inter se pugnabunt, aspergi eas oportet aqua mulsa. quo facto non modo desistunt pugna, sed etiam conferciunt se lingentes, eo magis, si mulso sunt asperssæ, quo propter odorem avidius applicant se, atque obstupescunt potantes. Si ex alvo minus frequentes evadunt, ac subsidit aliqua pars, suffumigandum, & prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum & thymum. Providendum vehementer, ne propter æstum, aut propter frigus dispereant. Si quando subito imbri in pastu sunt oppressæ, aut frigore subito, antequam ipsæ providerint id fore, (quod accidit raro, ut decipiantur) & imbris guttis uberibus offensæ jacent prostratæ

& afflictæ, colligendum eas in vas aliquod, & reponendum in tecto loco ac tepido, promum e die, quam maxime tempestate bona, & cinere facto e ficulneis lignis infriandum paulo plus caldo, quam tepidiore. deinde concutiendum leviter, ut manu non tangas, & ponendæ in sole. Quæ enim sic concaluerunt, restituunt se, ac reviviscunt, ut solet similiter fieri in muscis aqua necatis. Hoc faciundum secundum alvos, ut reconciliatæ ad suum quæque opus & domicilium redeant.

XVII. Interea redit ad nos PAVO, Et, si vultis, inquit, ancoras tollere, latis tabulis sortitio fit tribuum, ac cœpti sunt a præcone renuntiari, quem quæque tribus fecerint ædilem. Appius confestim surgit, ut ibidem candidato suo gratularetur, ac discederet in hortos. MERULA, Tertium actum de pastionibus villaticis postea, inquit, tibi reddam, Axi. Consurgentibus illis, AXIUS mihi, respectantibus nobis, quod & candidatum nostrum venturum sciebamus, Non laboro, inquit, hoc loco discessisse Merulam. reliqua enim fere mihi sunt nota. Quod cum piscinarum genera sint duo, dulcium, & salsarum: alterum apud plebem, & [non] sine fructu, ubi lymphæ aquam piscinis nostris villaticis ministrant. illæ autem maritimæ piscinæ nobilium, quibus Neptunus, ut aquam, sic & pisces ministrat, magis ad oculos pertinent, quam ad vesicam, & potius marsupium domini exinaniunt, quam implent. Primum enim ædificantur magno, secundo implentur magno, tertio aluntur magno. Hirrius circum piscinas suas, ex ædificiis duodena millia

ſextertia capiebat. eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. Non mirum. unò tempore enim memini hunc Cæſari duo millia murænarum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſextertio villam veniſſe. Quare noſtra piſcina ac mediterranea plebeja recte dicitur dulcis, & illa amara. Quis enim noſtrum non una contentus eſt hac piſcina? quis contra maritimas non ex piſcinis ſingulis plures conjunctas habet? Pluris. nam ut Pauſias, & ceteri pictores ejuſdem generis, loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſint ceræ, ſic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant piſces, quos proinde ut ſacri ſint ac ſanctiores, quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi, Varro, ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extrèmum litus, atque aram, quod eos capere auderet nemo, cum eodem tempore inſulas Ludinorum ibi choreuſas vidiſſes; ſic hos piſces nemo cocus in jus vocare audet. Q. Hortenſius familiaris noſter cum piſcinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos, ita ſæpe cum eo ad villam fui, ut illum ſciam ſemper in cœnam piſces Puteolos mittere emtum ſolitum. Neque ſatis erat eum non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret ultro; ac majorem curam ſibi haberet, ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini. & quidem utraque re, & cibo, & potione, cum non paulo ſumtuoſius, quam ego, his miniſtraret victum. Ego enim uno ſervulo, ordeo non multo, aqua domeſtica, meos multinumos alo aſinos: Hortenſius primum,

qui miniſtrarent, piſcatores habebat complures, & ii piſciculos minutos aggerebant frequenter, ut a majoribus abſumerentur. Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emtitia conjiciebat, cum mare turbaret, uti per tempeſtatem ſuis piſcibus e macello cetariorum, uti e mari, obſonium præberet, cum neque everriculo illi in litus educere poſſent vivam ſaginam, plebejæ cœnæ piſces. Celerius voluntate Hortenſii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quam e piſcina barbatum mullum. At, inquit *ille*, non minor cura ejus erat de ægrotis piſcibus, quam de minus valentibus ſervis. itaque minus laborabat, ne ſervus æger, quam aquam frigidam biberent ſui piſces. Etenim hac incuria laborare ajebat M. Lucullum, & piſcinas ejus deſpiciebat, quod æſtivaria idonea non haberet, ac [in] reſidem aquam, & locis peſtilentibus habitarent piſces ejus. Contra ad Neapolim L. Lucullus poſteaquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quæ reciprocæ fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu. factum eſſe enim, ut amatos piſces ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Apuli ſolent pecuarii facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt. In Bajano autem tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus e piſcinis in mare, objectaculo, quo æſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximam novam introire, ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas. Nos hæc. At ſtrepitus a dextra, & eccum recta candidatus

noſter deſignatus ædilis. Cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium proſequimur. ille inde eundo ſuam domum, nos noſtram. Opinionis noſtræ ſermonem de paſtione villatica ſummatim hunc, quem expoſui, habeto.




Stanford University Libraries
3 6105 013 379 313

